




**Catechesis, illustriss. Principi Francisco Otthoni,  
Brunsuicensium Luneburgensiumq[ue] Duci, puero  
generosissimo & toti Scholae ducali dicata.**

<https://hdl.handle.net/1874/456562>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. oct.

174


Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, written in a cursive script.

Main body of handwritten text, consisting of several lines of cursive script. The text is dense and fills most of the page, though it is difficult to read due to the cursive style and fading.


Handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or footer, written in a cursive script.

Католическі  
вѣбани  
макѣтї  
Саркѣтї

E. oct.  
174














N. 10. C.



# CATE

CHESIS, *Est 174*

ILLVSTRISS. PRINCIPIS FRANCISCO OTTHONI, Brunsvicensium Luneburgensiumq; Duci, puero generosissimo, & toti Scholæ Ducali dicata.

*Per VRBANVM Rhexium,  
Celle Saxonum.*

*Ad ludum literarium autor.*

Disce puer Christū, Pater hūc tibi misit ut esset  
Iusticia, & vita Regula certa tuæ.

Illustriss. Prin. ac Domini D. Ernesti Brunsvici.  
ac Lunebur. Ducis filius, Franciscus Ottho,  
Vrbano Rhexio theologo S. D.

Nomine quem nostro pepigisti Urbane libellum:

Hunc ego mente pia nocte dieq; legam.

Hoc faciant pueri, puer ipse suadeo, cuncti:

Cura quibus summi est scandere ad astra poli

*Eiusdem Prin. filiulus, Friderichus,*

*Eidem Vrbano S.*

Quæq; sibi meritas exposcunt munera grates

Munere, sed quænam gratia, digna tuo est?

*M. D. XLI.*

*ex dono Buchholtz*



# WAGGATE

WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE

WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE

WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE

WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE

WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE

WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE

WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE

WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE  
WAGGATE



# ILLVS

TRISSIMO PRINCIPI,  
FRANCISCO OTTHO

ni, Brunsvicensium ac Luneburgensium

Duci inclyto, puero studiosissimo,

ueram iusticiam & salu-

tem in Domino.



MNES aliae literae huius  
seculi doctum quidem hominē  
efficere possunt, sola autem  
sacrae literae pie doctum, &  
doctē piū reddunt. Prima  
igitur tibi cura esto, ut uerae pietatis dogmata  
exactē cognita habeas, & unicam Christiano-  
rum Sapientiam CHRISTVM ex scriptu-  
ris sanctis diligenter discas, à quo sacrosanctū  
illud Nomen, & summā Nobilitatē habemus,  
q̄ Christiani & filij Dei uocamur. Ita enim &  
Christus nos hortatur: Primum querite regnū  
Dei & iusticiam eius. Spero autem hanc studi-  
orum tuorum partem, imo caput, nonnihil ad-  
iutum iri hac nostra Catechesi, quam tantopere  
fidelissimus praceptor tuus ac fratrum tuorum,



Magister Guilielmus Megales Francus, amicus  
meus literarius à me efflagitat. Quare eam tibi  
Compatri meo charissimo, strenæ loco ad instan-  
tem Domini natalem mitto, Christumq; precor,  
ut adsit ipse studijs tuis, tuorumq; Natalium cla-  
ritati & hoc rarum decus addat, ut piè doctus  
Princeps & habearis & sis. Ex Phrontiste  
rio meo Cellæ, quarta septimanæ ante  
primam Dominicam Aduentus,  
Anno XL.

Urbanus Rhegius.

Guilielmus Megales Francus pio  
Lectori S.

Qui cupis ætherei pia noscere dogmata Christi  
Huc ades, Hoc paruum pellege lector opus:  
Quod pius ingenua conscripsit Rhegius arte:  
In generosorum cōmoda summa DV CVM.  
Inde scies sua quæ germana potentia LE GIS,  
Nostræ & quid fidei SYMBOLA sacra  
uelint.  
Quem sibi deposcat natiuū ORATIO sensum,  
Et SACRAMENTA hinc qualia quotq;  
scies.



## FRIDERICHVS.



**S**I VACAT, Mi frater,  
colloquamur aliquandiu de  
Christianismo, ne nomen no-  
strum, & eius mysterium ig-  
noremus. Dic mihi obsecro,

*Nascuntur ne Christiani an fiunt?*

FRANCISCVS  
OTTHO.

*Omnes homines nascuntur peccatores & in-  
nimici Dei, sed postea fiunt Christiani per Ver-  
bum Dei. Oportet enim hominem denuo nasci,  
non iterum ex utero materno, sed ex aqua &  
spiritu, ut fiat Christianus.*

FRIDERICHVS.

*Quid est Verbum Dei?*

F. OTTHO.

*Hoc quod Deus nobiscum per Prophetas,  
Christum, & Apostolos locutus est.*

CATECHESIS,  
FRIDERICHVS.

Quid autem per illos nobis loquitur?

F. OTTHO.

Adeo certe necessaria, ut sine ijs salutem æternam consequi nemo possit. Primo loquitur & tradit nobis uerba legis suæ, uel decem præceptorum, ut discamus quomodo Deo sit seruiendum, quæ bona opera sint facienda, quæ mala opera fugienda, hæc doctrina ostendit nobis peccata nostra, & damnat nos, quippe transgressores, quia nemo perficit eam. Deinde tradit nobis Deus Euangelium gratiæ suæ, in quo discimus, quomodo præcepta Dei possint impleri, quomodo nobis contingat remissio peccatorum, quomodo peccator à peccatis liberetur, iustus, & saluus fiat per Christum Dominum nostrum. Et exhibentur nobis in Euangelio sacra et infallibilia signa gratiæ Dei, Baptismus, & Sacramentum Eucharistiæ. Postremo docet nos Christus in uerbo suo, ueram, & perfectissimam orandi formulam, ut Deum patrem recte oremus pro omnibus necessarijs, & exoremus.

FRIDERICHVS.

Recense igitur mihi primum, X. præcepta, eaq; declarato.

## F. OTTHO.

Primum præceptum Dei. EGO sum I.  
 D O M I N V S Deus tuus. Non  
 habebis deos alienos coram me.

Vt tu facilius percipias doctrinam pietatis,  
 hoc ordine præcepta tractabo. Primo docebo  
 quæ bona opera in unoquoq; præcepto exigantur.  
 Secundo quæ mala opera prohibeantur.  
 Tertio quæ sit pœna Transgressorum. Quar-  
 to quæ præmia sint promissa legē seruantibus.

I.

II.

III.

IIII.

## FRIDERICHVS.

Cur præcipit Deus ne alienos deos habeamus,  
 cum reuera non sint ulli dii alij, præter unū  
 Deum, qui creauit cœlum & terram, & omnia  
 quæ in eis sunt ?

## F. OTTHO.

Est qui dem unus tantum Deus uerus, nempe  
 Pater Domini nostri Iesu Christi, & noster,  
 pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis.  
 Verum diabolus, hostis humani generis,  
 excæcat homines, ut sibi multos deos confin-  
 gant in creaturis, in quibus diuinum auxilium  
 querunt, nempe ueniam peccatorum, protectio

## C A T E C H E S I S,

nem in omnibus periculis, prosperitatem, & ueram salutem. Nam si homo in aliqua creatura per fiduciam cordis hæserit, in eam spem posuerit, quasi ad illam in omni necessitate tuto queat confugere, hanc sibi in deum erigit, & idolum ex ea facit. Sicut auari fidunt opibus, potentes suæ potentiæ, alij alijs creaturis fidunt neglecto Deo uero, qui tamen solus uult, & potest iuuare, & eripere ex omni periculo.

### FRIDERICHVS.

Enumeranunc, ut promisisti, bona opera primi præcepti.

### F. OTTHO.

Moses & prophete, qui sunt interpretes legis, potissimum hæc 4. opera in hoc præcepto exigunt.

- I. Fidem, Vt credamus in Deum patrem, in filium incarnatum Iesum Christum, & in spiritum sanctum, Deum unum, sed tres personas. Et hic obserua, nullam esse ueram fidem in Deum, nisi fidem in Iesum Christum. Nam pater proposuit Iesum Christum nobis ut thronum gratiæ. Nemo (inquit Christus Ioan. 14.) uenit ad patrem, nisi per me. Ipse est Mediator unicus inter Deum &

Hebræo. 4.

Ioan. 14.

1. Ioan. 2.

um &

un & hominem, noster aduocatus apud patrem Rom. 3.  
in caelis, & unica propiciatio pro peccatis no- 1. Timoth. 2.  
stris, imo totius mudi, noster unicus redemptor. Eph. 2. 3.

Quare qui sine Christo Mediatore nostro uolūt  
Deum accedere, ut Iudæi, Turcæ, & Eihnici,  
repelluntur à Deo, non inuenient patrem, sed in  
dicem inexorabilem. Per solum Christum Iesum  
habemus aditum cum fiducia ad patrem, semper  
igitur eo Mediatore utendum est, quoties cum  
Deo agendum. Deus propter peccata nostra in  
re nobis irasceret in æternum, sed Christus Rom. 5.  
sua morte nos reconciliauit patri. Ideo primum  
præceptum exigit fidem in Deum, sed per Chri-  
stum, qua una, uerus Deus inuenitur & retine-  
tur. Iudæi dicebant, Hic est Deus uerus noster,  
qui est Deus Abraam, Isaac & Iacob, qui edux-  
it nos ex Aegypto. Christiani autem dicunt,  
Hic est uerus Deus noster, qui nobis Christum  
Iesum filium suum misit, ut nos à potestate dia-  
boli redimeret. Itanostro Iesu Christo, qui est natura filius dei unige-  
nitus, extra hunc unicū Mediatorem, Deus nec  
agnosci potest, nec inueniri, & sic apprehendi,  
ut apud eum gratiam & auxilium inuenias, si

C A T E C H E S I S,

cut Christus ad Philippum Ioan. 14. ait. Philip-  
pe qui uidit me, uidit patrem. Nō credis q̄ Ego  
in patre sim, & pater in me? Huc pertinent &  
illa, firmiter credere omnes articulos fidei. Bre-  
uiter omni Verbo Dei credere, minis & pro-  
missionibus.

II. Diligere Deum ex <sup>( toto corde )</sup> Deut. 6.  
tota anima <sup>( totis uiribus )</sup> Ipse est cre-  
ator & pa-  
ter noster, qui prior nos sic dilexit, ut filium su-  
um unigenitum miserit in Mundum, ut uiuamus  
per E V M, 1. Ioan. 4. Ideo Deum uicissim  
supra omnia, quippe summum B O N V M, di-  
ligere debemus.

III. Timere Deū. Deut. 6. Dominū Deum tuū  
timebis, & illi soli seruiēs. Quem timebimus  
iustius, quā hunc Dominum dominantium, De-  
um magnum, potentem & terribilem. Deu. 10.  
qui potest & animam & corpus perdere in Ge-  
henna. Matth. 10.

IIII. Sperare in Deum, q̄ quicquid nobis in Chri-  
sto pollicitus est gratiæ, consolationis & auxi-  
lij, id ipsum certo sit propter Christum præsta-  
turus. Nam Deus est ueritas, qui fallere & men-  
tiri nō potest. Huc pertinet & patiētia, in cru-  
ce expectans auxiliū. Ita uides in primo præce

pto quomodo Deus sit colendus, interiori cultu, nempe cordis fide, dilectione, timore. spe.

## FRIDERICHVS.

Quæ mala opa sunt prohibita primo præcepto?

## F. OTTHO.

Impietas, nõ credere in Deũ, Euãgelio nolle credere, in creaturas & sanctos credere, auxiliũ ab eis sperare, fidere corũ meritis et in tercessiõib, fidere proprijs meritis Tentare Deum, superstitiones sectari, idolatriam & magicas artes exercere.

Hæc sunt peccata cõtra I. præceptum.

Errores in fide, & prauas opiniones de Deo docere, tueri.

Deum odio habere, impatienter ferre crucem.

Deum contemnere.

Dubitare de promissa gratia, providentia, & auxilio Dei in periculis, & plane desperare.

## FRIDERICHVS.

Quæ pœna irrogabitur transgressoribus primi præcepti? quæ item præmia Deum timentibus & amantibus proponuntur?



CATECHESIS,  
F. OTTHO.

Deus temporaliter & eternaliter punit im-  
pios, & contemptores Verbi sui. Minatur eni-  
malibus maledictionem, yn luck, ynshal in om-  
nibus rebus:

Famem.

Pestem.

Gladium, uel bellū. Nam in excē

Febres. dio Ierusalē decies cen-

Ardorē: tena milia hoīm interie

Aërem runt, ut ex Iosepho, Fla-

corruptū. uio & Aegesippo colli-

gitur: causa erat, nolu-

erūt in Iesum Christū credere, tē-

pus uisitatiōis suæ nō agnouerūt.

Rubiginem, id est, corruptionem

segetum.

Coelū eneū ( .i. nō erit pluuia,

Terram fer igitur nulla fertili-

ream. ) tas.

Vredinem, qua herbae, frutices &

arbores aduruntur:

Vlcera.

Scabiem, & pruriginē incurabilē

Amentiam.

Poenae

sunt

Deut.

28.

Amentiam, cæcitatem, furorem  
 mentis, qualẽ nũc cerni  
 mus in hostib. uerbi dei  
 Exilium, & breuiter omnes cala  
 mitates, quæ in hoc seculo hoĩ  
 accidere possunt. Atq; esto im  
 pij in mũdo aliquãdiu interdũ  
 floreat, tamen post momentũ  
 terrenæ fœlicitatis, pœnam lu  
 ent interitũ eternũ. 2. Theß. 1.

Pijs autem Deus & in hoc seculo multa insi  
 gnia bona promittit, & largitur, & tandem et  
 iam sempiternam uitam post exilium huius mũ  
 di, iuxta illud 1. ad Timoth. 4. Pietas habet  
 promisiões uitæ presentis, ac futuræ. Psal. 33.  
 Non est inopia timentibus Deum. Et Psal. 32.  
 Oculi Domini super timentes eum, & in eis qui  
 sperant super misericordia eius, ut eruat à mor  
 te animas eorum, & alat eos in fame. Psal. 111.  
 Beatus uir qui timet Dominum. Psalm. 144.  
 Deus uoluntatem timentium se faciet, depreca  
 tionem eorum exaudiet, saluos faciet eos. Et  
 Prophetæ passim Beatos pronunciant sperantes  
 in Deum. Matth. 21. Credentibus & in fi  
 de orantibus Christus omnia quæ petũt, certissi

## CATECHESIS,

me promittit. Ioan. 3. Qui credit in Iesum Christum, non peribit, sed habebit uitam eternam. Matth. 5. Christianorum merces erit multa in cœlis.

Sed audi seriam Dei comminationem, & cōsolantiſſimam promiſſionem huic præcepto adnexam, Exodi 20. Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes, uiſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiam in milia, ijs qui diligunt me, & cuſtodiuſque præcepta mea.

### FRIDE.

Quomodo intelligenda ſunt hæc magnifica uerba, Ego ſum Dominus Deus tuus?

### F. OTTHO.

Quaſi dicat, Ego ſum uerus ille & unus Deus omnipotens, qui te & omnia creauit, à quo & per quem omnia ſunt, conſiſtunt & conſeruantur. Ego unicus ille Dominus proteſtor & ſaluator tuus, id eſt, qui te curo & ſeruo hic & in

eternum, à quo omnia bona accipis. Nam etsi  
 multa beneficia ab hominibus accipias, omnia ta-  
 men hæc per eos à me accipis. Parètes enim tui  
 & alij benefactores, sunt meæ manus & instru-  
 menta mea, per quæ tot beneficia tibi confero,  
 Nã utitur hoc loco Moses uenerabilissimo Nomi-  
 ne, יהוה יהואח, quod nomen apud hebræos  
 plenum est maiestatis, nulli enim unquam meræ  
 creaturæ cõmunicatur, sed ubiq; unius ueri dei,  
 unicam & simplicissimam Essentiam tribus per-  
 sonis communem significat. Si ipse Deus, est De-  
 us, id est, seruator noster, ergo perire non possu-  
 mus, sed uiuimus per eum in æternum. Rursum  
 cum Zelotes sit, non feret contemptum sui, sed  
 impios in hoc seculo, & in futuro excruciat,  
 horribilibus supplicijs.

Primum igitur præceptum accuratissime per-  
 discas. Nam est mensura, Regula, & uirtus  
 omnium aliorum præceptorum, in quo alia om-  
 nia tanquam in capite pendent, uiuunt, uegetan-  
 tur. Et fides, huius præcepti opus, est etiam  
 caput, uita et uirtus omnium bonorum operum:  
 sine fide enim nullum opus est bonum. Ideo om-  
 nia præcepta alia sunt referenda ad primum,  
 hoc sine enim omnia opera fieri debent, nempe

## C A T E C H E S I S,

propter Deum, ut præstentur in timore & fide Dei, quia cupiamus Deo grati esse & obedire. Et hoc modo omnia opera a aliorum præceptorū, fiunt etiam opera primi præcepti & ueri cultus Dei.

### FRIDERICHVS

Declaram ihi hanc regulam exemplo.

### F. OTTHO

*Opera uocantis.* Filius pius ob id parētibus obedit, quia respicit ad autoritatem & Maiestatem Mandantis Dei, qui hanc obedientiam præcepit, timet Deū legislatorem, & uult Deo parere. Parens noster charissimus in quarto præcepto, didicit sibi à subditis deberi, honorem, timorem, & tributum. Et se uicissim subditis debere paternam curam, ut Sapientia, & Iusticia tueatur subditos. Cū igitur inter Consiliarios suos sedet, & anxie curat, ut ante omnia provideatur uerbi ministris, ut sana fidei doctrina, & ueri cultus Dei conseruetur, cū in hac prouincia obequitat, Ius dicit, lites dirimit, uiduas, & pupillos, & ui oppressos tuetur, & in facinorosos animaduertit, & alia Magistratus officia peragit, obsecro quorsum respicit? Nonne in primum præceptū.

Timet

Timet Deum, à quo potestatem hanc accepit, et  
ijs sumptibus & laboribus studet obedire Deo,  
sunt enim cultus Dei, quia sunt opera legitime  
uocationis, in timore & fide Dei facta.

Propter hunc nexum præceptorum dei, con-  
sequitur, in omnibus alijs peccatis, inesse trans-  
gressionem primi præcepti. Omnia enim pec-  
cata ex diffidentia, uel defectu fidei, et contemp-  
tu Dei promanant. Dum enim proximo incom-  
modas, hinc certe prouenit, quòd Deum non sa-  
tis times & amas, qui tibi proximum commen-  
dauit. Ita si primum præceptum seruauerimus,  
nullum aliud præceptum transgredremur.

## FRIDERICHVS.

Enarra mihi secundum præceptum Dei.

## F. OTTHO

Non adsumes nomen Domi-  
ni Dei tui in uanum.

II.

Hoc præceptum exigit uerum usum diuini  
nominis, et prohibet abusum eius, Et docet cul-  
tum Dei exteriorem, instruens os & linguam,  
ut quod corde credimus, ore consiteamur.

## C A T E C H E S I S.

- |                   |   |
|-------------------|---|
| Opera             | Confiteri nomen Domini, & Christum coram hominibus.                                     |
| 2. præcepti sunt. | Gratias agere in omnibus & semper, beneficentissimo Deo patri per Christum.             |
|                   | Laudare, prædicare, magnificare non nos, & nostra, sed nomen Domini, gratiam Christi.   |
|                   | Inuocare nomen Domini in omni aduersitate, & serio orare Deum per Christum idq; semper. |
|                   | Iurare per nomen D E I, quando gloria Dei, & proximi necessitas hoc postulant, Deut. 6. |
|                   | Iusiurandum fideliter seruare.  |
|                   | Synceriter docere uerbum Dei.   |

Augustinus monet ut summa cum ueneratione, et offensionis timore, nominemus gloriosum & terribile nomen Dei, Et ne hoc tanto thesauro unquam ad uanitatem abutamur.

In omni itaq; periculo & angustia debet Christianus ad Nomen domini fideli corde confugere, & Deum inuocare pro auxilio contra Diabolum, & omnia nocumeta, & experiemur presentiam & bonitatem patris cœlestis, qui multo est

multo est auidior ad dandū, quā nos ad accipiē  
dum. Est enim diues in omnes inuocantes se, &  
uerax, & seruans promissionum suarū, Ioelis. 2  
Omnis qui inuocauerit Nomen Domini, saluus  
erit. Et psal. 50. Inuocame in die tribulationis,  
Eruāte, & tu honorificabis me. Psal. 144. Pro  
pe est Dominus omnibus inuocantibus eum in  
ueritate.

Cuniunge item gratiarum actionem semper  
precibus tuis, ut docet Paulus Philipp. 4. Sem  
per enim sine iniermissione innumera beneficia  
accipimus à Deo. Semper igitur gratias aga  
mus Deo, ut psal. 117. Confitemini Domino quo  
niam bonus, quoniam in æternum misericordia  
eius. Itē Dominus fortitudo mea, & laus mea,  
& factus est mihi in salutē. Itē Psal. 119. Mife  
ricordia domini plena est terra. Duo sunt incita  
mēta quibus ad semper orandū & gratias agen  
das extimulamur. Aduersitates, Et beneficia  
Dei conuinua. Crux paterna uoluntate Dei no  
bis imponitur, ut Christo capiti nostro conforme  
mur, ut ad pœnitentiam uocemur, et fides nostra  
exerceatur in adflictionibus, quæ nos urgent, ut  
oremus pro auxilio. Orantes exaudimur, & ex  
perimur quā bonus, ueraxq; sit Dominus. Et



## C A T E C H E S I S,

dicimus cum psalmista: Bonum est Domine & humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. *Pa*ter coelestis, quem diligit corripit, & flagellat omnem filium quem recipit, non in hoc ut eum perdat, sed ut ei impertiat sanctimoniam suam: *Heb. 12.* Magna & firma consolatio est Christianis, & norunt tribulationes consilio Dei nobis accidere, & esse signa Dei miserentis, & saluare nos uolentis: Ideo inuocant Dominum in die malo, & exercent fidem, spem, & patientiam suam.

Negare in persecutiōe Christum, et obmittere confessionem & praedicationem diuini Nominis, sicq; ingratum esse pro beneficijs Dei innumerabilibus.

Se & sua laudare, Nomen Domini, aut uerbum eius blasphemare, deprauare.

Mala opera uel peccata contra 2. praecipitum.

Prophana colloquia de rebus diuinis habere, ut Epicurei solēt, qui derident doctrinam de resurrectione, cuiusmodi est 55. cap. Plinij senioris libro septimo de animabus & resurrectione.

Nunquam,

Nunquam, uel negligenter, & pharisaice orare, inuocare sanctos in caelo, uel idolain terris.

Errores in fide spargere. Et impios cultus contra uerbum Dei instituere, tueri.

Perierare per nomen Domini, decipere, mentiri, execrari, et ex leuiate citra omnem necessitatem iurare per nomē Domini, ut propheta nū uulguis Miluū et Equitū facit.

## FRIDE.

Quae est poena abutētium Nomine Domini?

## F. OTTHO.

Dominus secundo praeccepto seriam comminationem annectit. Non erit impunitus qui sumper rem uanam nomen eius assumpserit. Deut. 5. Est enim tale peccatum, crimen lese Maiestatis diuinae. Heresiarchae qui scripturas deprauant, haereses docent, monitiq; non respiscunt, horribili poena nempe caecitate mentis puniuntur, & in sensum reprobum traduntur, deniq; horrenda plerunq; calamitate opprimuntur, ut Monasterienses, pseudoprophetae in Vuespha

## C A T E C H E S I S,

lia nostro seculo miserabiliter trucidati perierunt.

Agricolæ anno Domini 1525. mouerunt seditionem in Germania per abusum & prætextū diuini nominis, Euangelij, & Christianæ libertatis, & pauculis mensibus occisa sunt centum millia rusticorum.

Arius blasphemabat Christum, & sordidam animam per anium in latrinam effudit.

Cerinthum, qui similiter Christi diuinitatem negare ausus est, domus in qua balneabatur, collapsa contriuit.

Rabfacem Assyrium, blasphemum in Deum Israelis, angelus Domini cum centū octoginta quinque millibus una nocte occidit. 4. Reg. 18. 19.

Denique omnes mundi historię testantur, per iuros homines pœnam nunquàm euasisse.

## FRIDERICHVS.

Quæ autem præmia sunt proposita recte utentibus nomine Dei?

## F. OTTHO.

Horum præmiorum magnitudinem nemo ut quàm enarrauerit, audisti ex loële, inuocantibus nomen

nomen Domini salutem promitti.

Et 1. Reg. 1. quicumq; honorificauerit me, glorificabo eum. Psalmus 17. Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis suluus ero.

Psalmus 14. Qui iurat proximo suo & non fallit, promissionem habet, quod in domini tabernaculo habitabit, & in monte sancto eius requiescet. Et qui in nomine Christi orat, promissionem habet, se à Deo oia quæ petierit accepturum.

Obsecro quanta bona sunt, saluari, glorificari à Deo, eripi ab inimicis, habitare in tabernaculo Dei, omnia que petieris à Deo accipere. quid insuper desiderabis, si illa fueris cōsecutus?

## FRIDE.

Audiam nunc à te per libenter enarrationem tertij præcepti.

## F. OTTHO.

Memento ut diem Sabbathi sanctifices. III.

Præcipuum sabbathum, id est festus dies, apud Hebræos erat, dies septimus in septimana. Causam eius Genesis tertio uidemus. Et Exodi 20. Deus sex diebus fecit cælum &

## C A T E C H E S I S, 1

terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt. Et die septimo requieuit. Idcirco benedixit Dominus Deus diei Septimo sabbathi & sanctificauit eum.

Hoc tertium præceptum uocatur à Theologis partim cærimoniale, partim Morale. Nam feriari die Septimo erat cærimonia iudeis præcepta & obseruanda, usq; ad Christi aduentum primum, ut Esaias cap. 66. docet. Iam autem exhibitio Christo, illa Cærimonia figuralis neminem iudeorum obligat, sed ut umbra legis, præsentē luce euanuit. Colos. 2. Et Christiani sunt liberi à cærimonijs Mosaicis. Sed morale et principale in illo præcepto, est Sanctificatio, illa est huius præcepti nucleus, et manet omnibus seculis. Debet enim dies aliquis sanctificari, id est, in res sanctas collocari, ut etiam nos sanctificemur, festo enim die debet tractari, legi, audiri, & diligenti meditatione perdisci uerbum Dei, lex & Euangelium, quo nos mundamur & sanctificamur. Ioan. 15. & 17. Sicut Dominus Exo. 31. ait, Videte ut Sabbathum meum custodiat, quia signum est inter me & uos, ut sciatis, Quia ego Dominus, qui sanctifico

### ctifico uos.

In Actis Apostolicis, uidemus quæ fuerint in Sabbatho exercitia Iudæorū, nēpe legere, exponere, discereq; legem, & prophetas, in quibus Deus nobiscum loquitur, & per suam ueritatem nos sanctificat. Nos Christiani ne iudaissimus, obseruamus octauum, uel potius primum diem, qui Dominicus uocatur, apocalyp. 1. à Domino nostro Iesu Christo, qui eo die resurrexit à mortuis, cuius obseruatio ab Apostolis ad nos dimanat. Nam Paulus 1. Cor. 16. iubet eleemosynas conferre in una Sabbathorum, id est, Dominico die, ut etiam Chrysostomus intelligit.

Sanctificamus & nos Christiani alios quosdam dies in libertate Christiana, id est, segregamus, & separamus Domino, ut audiamus uerbum Dei, uel Deum in nobis loquentem. Seruis unīq; nostri festi dies fidei, quando in eis recordamur creationis, & conseruationis rerum omnium, & recreationis naturæ lapsæ, quæ per filium dei facta est. Et charitati, concedimus enim seruis, & ancillis nostris quietem, ut uires recuperent.

## FRIDERICHVS.

CATECHESIS:

Quæ sunt bona opera nobis præcepta in ter-  
tio Mandato?

F. OTTHO.

Opera bona  
Sabbathi.

Docere, audire, discere, meditari uerbum do-  
mini serio & attentissime.

Interesse Christianorum cærimonijs, indie-  
bus festis.

Verum usum Cærimoniarum sacrarum dili-  
genter retinere, & tueri.

Sacramentis iuxta Institutionem Christi uti.

Sobrie uiuere, ne crapula & ebrietas medi-  
tationem uerbi Dei impediant.

Conferre in alimoniam pauperum Eleemosy-  
nas in templo.

Pro nostra uirili curare ut Ministerium uer-  
bi & Sacramentorum conseruetur ac flo-  
reat.

Infirmos uisitare, ac consolari,

Domi familiam nostram in catechismo fi-  
deliter instituere.

Præcipit itaque Tertium hoc præceptum, ex-  
ternum cultum Dei in cærimonijs Eccle-  
siasticis.

Contiones, &

Contiones, & Christianas carimonias  
contumaciter negligere, Hoc est, Ra  
ro uel nunquam interesse, quasi ad  
te nihil pertineant.

Sacramentis non uti, uel ea contemnere,  
uel secus tractare, quam Christus  
sacramentorum autor docuit, ut Pon  
tificij fecerunt, ex cœna Domini, sa  
crificium quotidianum pro uiuis, &  
mortuis.

Trans  
gressio  
nes uel  
pctā 3.

præce Verbo Dei docendo & discendo nullam  
piti. diligentiam adhibere.

Ministerium uerbi abolere. Impias ca  
rimonias instituire, & quod pro  
phanum uulgus facit, Festis diebus  
tantum conuiuari, ludere, carnis de  
sideria sectari, neglecto uerbo Dei,  
uel eo die operari, & negligere uer  
bum D E I, ac offendere proximum,  
nihil expendere pauperibus, uel ad  
conseruationem ministerij uerbi.



## CATECHESIS,

Familiam negligere, eã non exercere  
in catechismo, uel impedire ne que  
at audire contiones Euangelicas.

## FRIDERICHVS

Quæ sunt pœnæ malorum operum, & quæ  
sunt præmia bonorũ operũ in tercio præcepto?

## F. OTTHO

Quàm uehementer execretur Dominus hu  
ius mandati præuaricationem ex 15. cap. Nu  
meri intelligitur. Collegerat Iudæus die Sabba  
thi ligna, & Dominus iussit eũ lapidibus obrui,  
ut moreretur. Et nostro seculo multæ calamita  
tes procul dubio propter huius præcepti con  
temptũ accidūt. Tanta enim est impietas et tam  
inexpleblis auaritia hoim, ut contemnunt fe  
stos dies Ecclesiæ, uerbum Dei, & pias carimo  
nias. Qui autem Deum operibus bonis huius  
præcepti honorat, nihil ex eo ocio detrimenti in  
re familiari accipit, sed benedictiones corpora  
les, & spirituales à Domino consequitur. Sicut  
Christus, Matthæi 6. promisit. Querite pri  
mum Regnum Dei, & iusticiam eius, et hæc  
omnia (quæ ad uictum & amictum pertinent)  
adiicientur uobis. Et audi amœnissimam paradi  
sum bene

sum benedictionum Dei spiritualium. Dum au-  
dis serio Euangelium, consequeris ex uerbo dei,  
fidem, Remissionem peccatorum, spiritum san-  
ctum, Noticiam Dei, & tui, Reconciliationem  
cum Deo, pacem conscientiae, gaudium spiritus,  
Donum uerae iustificationis, & uitae aeternae. Et  
Christus. Ioan. 14. ait, si quis diligit me, sermo-  
nem meum seruabit. Et pater meus diliget eum,  
& ad eum ueniet, & mansionem apud eum  
faciemus, obsecro te quid unquam praecleari ab  
omnibus prophetis & Euangelistis promissum  
est nobis, quod non sit comprehensum, hac una  
Christi promissione? Nam ubi pater, & Filius,  
& spiritus sanctus mansionem faciunt, ibi est  
summa bonorum omnium.

## FRIDE.

Elucida iam mihi & quartum praecipuum Dei.

F. OTTHO.

Honora patrem tuum, & ma-  
trem tuam.

IIII

Audisti primam legis tabulum, Tria praeci-  
pta prima, quae docent summum Dei cultum  
interiorem, & exteriorē. Sequitur iam secunda

CATECHESIS,

Tabula 7. aliorum præceptorum, quæ docent officia erga proximum. Inter quæ primum est de honore parentum, & obedientia erga parentes, & alios, quibus parentes suam vicem committunt.

Si intellexeris quid sit honorare, & quid appellacione patris, & matris dominus significet, mox totius præcepti sensum habes.

Honorare:

Honorare est honorifice de parentibus sentire, nempe q̄ Deus nos eis subiecerit, quòd uoluntate & ordinatione Dei ipsi nobis præsent, nos uero ipsis subsumus, & eis ex animo tribuere sapientiam, & iusticiam, id est libenter parere eorum iudicio & autoritati. Et si interdum quod humanum est, peccauerint, & errarint, peramanter et reuerenter cõdonare, excusare, & tegere errata.

Parentum autem appellacione usu linguarũ omnium, honorantur etiam Magistratus, pastores animarum, præceptores, & patres familias, ac Matres familias, Hos omnes à nobis honorari uult lex diuina:

FRIDERICHVS.

Quæ sunt Bona opera hic nobis præcepta, quæ mala opera prohibita?

## F. OTTHO.

Animo, & externa reuerentia honorare  
Parentes, eis in omnibus obedire ex  
animo, Apostolus ad Eph. 6. ca. ait,  
in Domino.

Omnia filialis charitatis officia eis  
exhibere. Dum senescunt, deficiunt,  
& egent, necessaria uitæ suppeditare

Bona  
opa.

Magistratibus, Episcopis animarum, Ec-  
clesiæ Matri spiritali, præceptoribus,  
patribus familias debitam præ-  
stare obedientiam, & quæ eis debentur  
fideliter largiri.

Magistratibus autem debemus iure diuino,  
ut Paulus Roma. 13.

( Honorem  
docet Timorem:  
| Tributum.  
| Vectigal.

Per tributum & uectigal intelliguntur omnia  
debita onera externa, zins, zoll, schatzung,  
fronarbeyt, kriegs raisung, hæc debentur Ma-  
gistratui, Denn regieren kost vil, es gat vil  
daruber.

## C A T E C H E S I S,

<p>Mala opera uel pec cata cō trahoc præce ptum.</p>	{	<p>Contemnere parētes, eorum iudicio, &amp; auctoritati resistere, eos offendere, Non obedire in recte iussis, eos in ne cessitate derelinquere. Magistratus contemnere, nolle obedire imperio co rū, eorū dicta, &amp; facta calūniari, se ditionē mouere contra Magistratum. Non pendere, uel fraudulentē pende re Tributum, &amp; Vectigal. Præcepto res, &amp; Pastores animarum defrauda re, debitam Mercedem negare, eos despicere, &amp; calumnijs offendere. Dominis, ac patribus familias fraudu lenter &amp; negligenter seruire.</p>
--	---	---

## FRIDERICHVS.

Audio quid nos debeamus parentibus, &  
Magistratibus, quid autem ipsi uicissim debent  
nobis?

## F. OTTHO.

<p>Educare. Erudire. Corripere.</p>	<p>Apostolus ad Ephe. 6. tria complectitur, quæ nobis parentes debent, Patres, inquit, edu cent liberos in eruditione &amp; correptione Domi ni. Hic habes primo curas, &amp; labores educan di, ut necessaria uitæ liberi habeant. Deinde institutionem</p>
---	--

institutionem in doctrina pietatis. Sicut Moses Deut. 6. precipit, Narrabis, uel ut Hebraeus habet, acues uerbum Dei filijs tuis. Et postremo habes correptionem paternam, disciplinam teneræ ætati maxime necessariã. Est enim imprudens, & effrenis, quare coërceri debet certis exercitijs, laboribus, studijs, et pœnis, ut ijs tanquã frenis à peccatis retrahatur, & ad pietatem assuefiat. Sicut Salomon Prouerb. 23. monet. Non subtrahas à puero disciplinam, uel castigationem. Si percusseris eum uirga, non mortetar, sed liberabis animam eius ab inferno.

Magistratus uocari solent patres patriæ. Nã in externa disciplina debêt omnia officia suis subditis, quæ pater familias debet liberis et familiæ.

Sed pater familias hoc officiũ debet familiæ, ut curet eam recte institui in uerbo Dei, & prohibeat, atq; à domo ut pestem profliget impios cultus, falsam doctrinam, & quicquid sanæ doctrinæ aduersatur.

Consequitur itaq; magistratus officium esse, efficere ut doctrina Religionis synceriter doceatur, errores & abusus aboleantur, Et ut disciplina seuera in repub. exerceatur.

Abominabilis error est, Magistratum ciuilẽ Magistratum

## C A T E C H E S I S,

æquare armentarijs, qui tãtum uentri pecudum prospiciunt. Magistratus enim officium, non solum est corpora tueri, sed habet functionem longe excellentiorem, nempe totius Decalogi defensionem. Hæc enim est uera diffinitio potestatis seculi. Magistratus, est minister Dei, in hoc constitutus, ut sanctissimam Dei legem, quod ad externam disciplinam attinet, ui corporali tueatur.

Ideo non solum debet prohibere, & punire scelera, quæ contra secundam tabulam Mosi facta sunt, qualia sunt, parentum offensio, homicidia, adulteria, furta, rapinæ, periuria &c. sed etiam peccata in primam tabulam, qualia sunt, blasphemie in Deũ, Epicurei, Curtisanici et Pliniani sermones, idolatria, impij cultus, errores in fide.

Debetq; curare ante omnia, ut subditi recte ex uerbo Dei de religione doceantur, ut scholæ florent, & iuuentus pia eruditione instituat. Dein iudicium, & iusticiam facere, nocentes punire, bonos tueri, 1. Petri. 2. Non enim frustra gestat gladium. Rom 13. Et Exo. 23. Pauperis nõ misereberis in iudicio, nec accipies munera,

quæ

que etiam excæcant prudentes, & subuertunt  
 uerba iustorum. Et Iere. 22. Facite iudicium,  
 & iusticiam, ui oppressum liberate de manu ca=  
 lumniantis, aduenam, pupillum, uiduam nolite  
 contristare, neq; opprimatis inique, & sangui=  
 nem innocentum ne effundatis.

In primis nos ediscere hæc uerba Regis Io=  
 sophat iussit præceptor noster. (ut habetur se=  
 cundo Paral. 19.) Ille cum iudices terræ in cun=  
 ctis ciuitatibus Iuda cõstituisset, sic eos alloqui=  
 tur, Videte quid faciatis. Non .n. hominis exer=  
 celis iudicium, sed Domini, & ipse uobiscum est  
 in iudicio, sit timor Domini uobiscum, & cum  
 diligentia cuncta facite. Non est enim apud Do=  
 minum Deum nostrum iniquitas, nec personarũ  
 acceptio, nec cupido munerum

Apostolus grauius monet DOMINOS  
 iuxta carnem, ne inflati fastu, in subditos ty=  
 rannidem exerceant. Vos DOMINI inquit  
 æquitatem, & æquabilitatem seruis exhibite,  
 scientes quòd ET VOS DOMINVM  
 HABEATIS IN COELIS, ad  
 Colossenses quarto



## CATECHESIS,

Hoc in primis Magistratum mouere debet, ut recte fungatur officio suo, q̄ Deus in Psalmo 82. Magistratū titulo sui nominis insignit, Ego dixi dii estis. Id est, Ego sic decreui, ad hoc uos delegi, & uocaui, ut res diuinas defendatis, ut conseruari curetis sanam doctrinam Christi, ut tuc mini ueram religionem, ut aboleatis errores, et cultus ab hominibus, contra uerbum Domini excogitatos, ut conseruetis Iusticiam, coniugia, pacem, & omnem temperitudinem prohibeatis. Nā in his quæ ad decem præcepta Dei pertinent, idem est officium potestatis secularis in nouo Testamento, quod erat Regum piorum in Israel. Sed Deus in 17. cap. Deutero. constituit Regē in Israel, custodem legis, & Doctrinæ Religionis. Et non frustra David cecinit. Psal. 2. Et nūc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrā. Seruite Domino in timore, quod diligenter fecisse legimus Christianos Cæsares, Constantinum, Valentianum, & Theodosium, qui legibus & gladio Blasphemias & impios cultus prohibuerunt, & punierunt.

## FRIDERICHVS.

Quæ autem sunt pœnæ Transgressorum in hoc præcepto

hoc precepto, quæ item obedientium præmiat

## F. OTTHO.

Deutero. 21. Ducebatur filius inobediens, & contumax ad portam iudicij, & lapidabatur à populo. Liberis obedientibus promittit Dominus longam uitam. Et scimus uitam æternam promitti seruantibus mandata Dei. Et æterna damnatio manet præuicatores legis. Et Romano. 13. docet Apostolus, magistratui resistere & non obedire, esse peccatum mortale. Ergo inobedientes damnantur. Sic enim ait: oportet esse subditos, non solum propter iram, id est, pœnam, uerum etiam propter conscientiam, id est, ne conscientia polluatur peccato mortali. Ergo peccatum mortale est uiolare edicta magistratum, simul enim contemnitur Deus qui nobis magistratus præfecit. Et iterum: quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistit, sibi ipsis iudicium accipient. Nam Principes non terrori sunt bene agentibus, sed male, plerumque horribili mortis genere pereunt seditiosi.

Chore, Datham, Abyron erant seditiosi contra Mosē, et terra dehiscens deglutiuit eos, uiuicque in infernum descenderunt. Numeri 16.

## C A T E C H E S I S,

Abfolon moliebatur seditionem contra patrem suum David, & in bello fugit, siq; è quercu pen silis. 2. Regum 16. 17. Recordare Rusticane cladis, in secundo præcepto recensite. Christiani igitur ex animo Magistratibus obedire debent. Sciunt enim se à D E O per ministerium potestatis secularis summa beneficia accipere, nempe leges ad hanc uitam utilissimas, pacem publicam, securitatem, defensionem uite, coniugum, liberorum, & rerum tranquillitatem ad quærendum uictum, ad discendam religionem, & alias honestas artes. Tolle Magistratum è Mundo, & solem substulisti. Quid enim aliud tum uideremus, quàm horribiles tenebras ineu tabilium calamitatum, Bella intestina, direptiones bonorum, uiolationem liberorum, & coniugum, latrocinia, infinita pericula domi, & foris, breuiter omnium statuum perturbationem, & mundi desolationem certissimam.

## FRIDERICHVS.

Elucida mihi & Quintum præceptum.

## F. OTTHO.

V. Non occides, iam audies que officia de  
beamus

beamus proximo nostro,

Virtu tes uel opa bo na s. præce pti.	{	Mansuetudo, Dulcis affe-	{	Amicos,
		ctus cordis erga		inimicos
		Beneuolentia, Mi		
		sericordia, Patientia, clemētia, facili		
		tas, tractabilitas, Φιλανθρωπία,		
		id est amor erga homines.		
		Humanitas, etiam in gestu corporis		
		et uultu.		
		Affabilitas, comitas in uerbis.		
		Tueri uitam proximi, non iuuare, nō		
		approbare iniurias corporum.		
		Placabilitas, iniuriarum et offensionum		
		facile obliuisci, non esse uindictæ		
		cupidum.		

irasci, odium, Maleuolentia, yancorem  
in corde fouere, μισανθρωπία  
habere, qualē legitur habuisse Timō  
Atheniensis, qui odio hominū in solitu  
dinem concessit, nulla re perinde dele  
ctatus ac suspendijs hominum.

Iræ et odij signa prodere. Et ut Matthe  
us ait, rhaca dicere fratri.

## CATECHESIS,

Peccata contra hoc præceptum ut exposuit Christus Mat. 5.

Palam cõuiciari, dicere fratri, fatuus, proditor, balatro, furcifer, homotriū literarum, iurgiosum, contumeliosum esse, rixari, discordias serere, & alere.

Occidere proximum, in necem alteri us consentire, autorem esse homicidij, priuatam uindictam exercere, implacabilem esse, & immisericordem.

## FRIDERICHVS.

Cur igitur Magistratus occidit fures, latrones & homicidas?

## F. OTTHO.

Quintum præceptum prohibet uindictam priuatam, quæ ex odio, & inuidia fit sine autoritate magistratus,

At Magistratus autoritate & Mandato Dei plectit facinorosos. In hoc enim potestas seculi gladium à Deo accepit, ut eum dstringat in nocentes. Neq; enim exercet uindictam suo nomine ex inuidia, odio, ac maleuolentia, sed iussu Dei, cuius uicarij & ministri sunt Magistratus in hoc seculo. Ita Apostolus magistratum adpellat Dei ministrum, ac uindicem.

Erideo.

## FRIDERICHVS.

Quæ statuuntur pœnæ transgressoribus  
Quinti præcepti, quæ promittuntur præmia ob  
bedientibus?

## F. OTTHO.

Pœna temporalis Homicidarum, est occidi,  
quam Dominus statuit Gene 9 Qui effuderit  
sanguinem hominis. Per hominem ( id est magi  
stratum ) sanguis eius effundetur, quoniam ad  
imaginem Dei factus est homo.

Leuit. 24. Qui percussit, et occiderit ho  
minem, morte moriatur. Et Christus Math. 26.  
Qui gladium acceperit (Intellige sine iussu legi  
s et magistratus ) gladio peribit.

Gala. 5. Inimicitia, ira, seditiones, inui  
diæ, cades, uocantur opera carnis, et qui talia  
agunt, regni Dei heredes non erunt. Deus ipse  
custos est huius legis, nec sinit euadere homici  
das. Gene. 4. dicit Caino fratricidæ, ubi est Abel  
frater tuus, uox sanguinis fratris tui clamat ad  
me de terra. Vagus et profugus eris super ter  
ram. Omnes homicidæ sunt inuidi, nam consi  
tentiæ furij exagitatur. Quid dicam de præmijs?  
nomen charitas quæ proximi corpus, uxorem, et

## C A T E C H E S I S,

*res tuetur est consumatio legis? Ideo amplissima  
premia consequitur. Mansueti item audiunt Lu  
cæ. 6. Remittite & remittetur uobis.*

### FRIDE.

*Quæ bona opera præcipit nobis sextum præ  
ceptum, quæ peccata prohibet?*

### F. OTTHO.

VI.

*Nō mœchaberis. Hoc præcepto De  
us honorabile Coniugium approbat et munit ad  
uersus nefandam libidinē carnalium hominum.*

Castitas.		Cogitatiōibus
Pudicitia.	Cordis in	Desiderijs
Verecundia.		Lingua.

Fides in proprio		Facie.
coniugio	Corporis in	Oculus.
		Auribus.
		Tactu.

*Virtutes uel  
opera bona  
sexu præcep  
ti sunt.*

*Et quæ castitatē cōseruāt,  
cuiusmodi sunt*

Temperantia
Sobrietas
Ieiunium.
Vigiliæ
Moderatio in

*uestitu. Honesti labores.*

*Octa enim & desidia Diabolo oēs fenestras etia*

nuas aperiunt. Nā et ethnicus poeta cecinit.

Quæritur Egiptus, quare sit factus adulter,

In promptu causa est, desidiosus erat.

Ezechiel propheta cap. 16. causas Sodomitici sceleris recensens ait: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, Superbia, Saturitas panis, abundantia & ocium ipsius & filiarum eius. Christianus fugiat crapulam, ebrietatem, luxum in vestitu, ornatū exquisitiorem corporis, Deuetet impudicorum cōsuetudinem, auersetur libros spurcos, turpesq; picturas, nam sunt irritamenta & fomenta libidinis.

Concupiscentia cordis, qua homo uxorē proximi cōcupiscit, obscæne cogitationes, ita & Christus exponit hoc præceptum Matth. 5.

Nutus oculorum impudicorum. Turpes gestus corporis

Peccata contra hoc præceptum. Libenter loqui, uidere, audire turpia & spurciloquio delectari.

Illicitus tactus sui ipsius & sexus fœminei.

Adulterium committere & scortari,

Moses ait, אִשָּׁתוֹ אִשָּׁתוֹ לֹתִינָפֶה אִשָּׁתוֹ לֹתִינָפֶה

du soll: nicht ynkeuschen, & generali uerbo



## CATECHESIS,

omnem illicitum concubitus prohibet, denique omnia prohibentur, quæ desideria carnis excitant, iuuant, & fouent.

## FRIDERICHVS.

Nunc mihi adulterorum, scortatorumque per  
134 & castorum præmia recense.

## F. OTTHO

Adulter & adultera in lege Mosi Deute. 22. lapidabantur, & Ioan. 8. Euangelium excludit tales à regno cælorum 1. Corinth. 5. Hebræ. 13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Iudicium 19. & 20. ob stuprum uxori Leuitæ illatum, occisa sunt in tribu Benjamin 63. millia beliatorum.

Salomon erat primum Rex incomparabilis, sed patiebatur cor suum per mulieres formosus auerti à Deo, ut tandem Senex coleret Deos gentium. Primo igitur excæcatur cor eius. Deinde excitantur in eum hostes, Adad, Edomeus & Razon. Regnum eius scinditur, & auferuntur à domo David x. tribus Israel 3. Reg. 11. Verissime igitur docet propheta Hoseas, libidinosos cecitate cordis puniri, ut hominem exuant & uelut obbrutescant. Fornicatio (inquit) & uinum

Mose. 4.

Et ebrietas auferunt cor.

Gene. 34. propter stupratam Dinam filiam Iacob, occiduntur omnes uiri Sichimite, diripiuntur eorum oues et armenta, paruuli et uxores abducuntur in captiuitatem, urbs fit præda et omnia uastantur.

in Genesi inter caussas Diluuij, quo mundus recens conditus perijt, recensentur libidines, Gene 6.

Subuertit Dominus Sodomam et Gomorra sulphure et igne de cælo propter abominandas spurcicias libidinis Gen. 19. Hanc poenam cum esset Dominus Sodomitis illaturus, reuelat eam Abrae, ut illud exemplum iræ Dei filijs suis et familie sue inculcaret, quo ab illis spurcicijs per omnem uitam abhorrerent, et caste uiuerent: Gen. 18. Ideo hæc exempla et nobis recensentur, ne obliui Dominum Deum nostrum patiamur in nobis regnare foedam libidinem.

Semper igitur personet in auribus tuis, mi frater, grauißimum Pauli præceptum 1. Cor. 6: Fugite scortationem, omne peccatũ quodcumq; fecerit homo extra corpus est, sed qui scortatur in proprium corpus peccat. An nescitis quod corpora uestra sint templum eius qui in uobis

## CATECHESIS.

est, spiritus sancti, quem habetis à Deo. Et non estis ipsius iuris. Nam empti estis precio, glorificate iam Deum in corpore uestro, & in spiritu uestro quæ sunt Dei. Et 1. Cor. 7. Propter supra uitanda, suam quisq; uxorem habeat, & suum queq; uirum habeat.

In castis itaq; mentibus & corporibus libenter habitat spiritus sanctus. Impura & spurca corda ut fœtidissimam latrinam horret.

## FRIDERICHVS.

Audiam nunc ex te septimi præcepti expositionem.

## F. OTTHO.

**VII.** Non furaberis. Hoc præcepto pater celestis unicuiq; munit suas facultates, placet enim DOMINO, ut SVVM quisq; teneat, ut sit distinctio rerum & sint Dominia. Sicut enim Euangelium non abolet præcepta Dei, ita non tollit rerum proprietatem: Non solum autem uult Dominus ne surripias aliena bona, sed etiam ut tuis bonis adiuues proximum:

Eleemosynã de tua substantia egentibus libenter erogare LUC. 11.

Dare

Dare omni petenti Luc. 6. Sed iuxta regu-  
lam Pauli 2. Cor. 8. Non ut alijs relax-  
atio sit tibi angustia.

Liberalitatē exercere in domesticos. Nā  
qui suis, & maxime familiaribus non  
providet, fidem abnegavit, & est infi-  
deli deterior 1. Timoth. 5.

Igitur  
bona o-  
pera 7.  
præce-  
pti  
sunt.

Ei qui te vult in ius trahere, ac tunicam  
tollere, permittit & pallium Matth. 5.  
Mutuum dare & nihil inde sperare.  
Luc 6.  
Operari manibus & honeste parare  
rem unde uiuas & egenibus imper-  
tialis Eph. 4.

Proximi rē tueri, et ubi licet augere.  
Liberalē esse erga ministros ecclesie, &  
scholarum moderatores, pauperes q̄;  
studiosos, ut ministerium Ecclesiasticū  
conseruetur, & floreat Scholæ.

In omni negotio æquitatem & legem na-  
turalem inter homines seruare.

Auaritia, nihil cuiquam dare. In iustis lu-  
cra sectari, Dolo malo, malis contra-  
ctibus, prohibitis artibus aliena bona  
compilare.

## CATECHESIS,

Iniquitatem exercere in mensura, ulna, pondere, & fratrem in negotio circumuenire.

Rem tuam ignauiter tueri, ut tandem tibi necessaria uideantur desint.

Mendicare, cum queas ex tuo labore uiuere.

Bona tua prodigalitate dissipare, ut deinceps cogaris ex alieno rapere,

Patrocinia in malis causis per corruptelas emere, iustas mercedes non dare, imposturas in omnibus mercibus exercere, quod faciunt institores, caupones, Mercatores.

Furari, rapere aliena. Usuras exercere  
Exodi. 22. Leuit. 25. Deut. 23. Eze. 18

Bona Ecclesiarum, que ad alendos VERBI ministros collata sunt, in profanos usus uertere. Aut hæc absumere, cum non sis idoneus seruire Ecclesie Christi in uerbo & administratione Sacramentorum.

Vide obsecro frater, quam plena sint omnia furtis, si nucleum huius præcepti excusseris Die kleinen dieb henckt man, die grossen vastet und  
fezt

Peccata uel  
mala opera  
contra septi  
mam legem.

*ſtyrt man, ò Tempora, ò Mores.*

## FRIDERICHVS.

*Si & uſurarij ſunt fures, cur nemo illas uora  
gines in explebiles trahit in gemonias. Sed eni  
mera pœnas furum & præmia obedientium.*

## F. OTTHO.

*Nonne ſatis eſt ſupplicij Tantalus illis quòd  
multis, ſtultis ac noxijs cupiditatibus & hanc  
breuem uitam ſibi reddunt longe acerbiſſimam,  
& à futura uita beatitudine ſe ipſi penitus ex-  
cludunt, Sed pergo. Olim pœna furum in lege  
Moſi, erat reſtitutio dupli, quadrupli & quin-  
tupli. Exodi. 22. Et Salomon prouerb. cap. 6:  
iubet & furem reddere ſeptuplum & omnem  
ſubſtantia domus tradere, ut liberet ſe, 1. Cor. 6.  
Neq; fures, neq; auari, neq; rapaces regni Dei  
hereditatem accipient.*

*Et Luc. 6. habes præmia, Date & dabitur  
uobis, Meſuram bonam & conſertam & con-  
cuſſam atq; exundantẽ dabunt in ſinum ueſtrũ,  
Eadem meſura qua metimini, metientur alij uo-  
bis. Prouerb. 28. Qui dat pauperi non indige-  
bit, qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam,*

## CATECHESIS,

*Psal. 36. Tota die miseretur & commodat iustus & semen eius in benedictione erit, id est, multiplicabitur & ditescet ex benedictione domini. Benedictio enim Domini diuites facit, Prouerb. 10.*

*Luc. 16. facite uobis amicos ex Mammona iniusto, ut cum defeceritis recipiant uos in eterna tabernacula.*

*Matth. 10. Qui ad bibendum dederit aquæ frigidæ poculum uni ex pusillis his, tantum nomine discipuli, amen dico uobis, non perditurus est mercedem suam.*

## FRIDERICHVS.

*Cum Christus Lucæ. 18 dixerit, difficile esse ut pecuniosus in regnum dei intret, licet ne Christiano possidere diuitias?*

## F. OTTHO.

*Difficile quidem est, sed non impossibile, Abraham, iacob, Dauid, Asa, Iosaphat, Iob, erant diuites, sed simul sancti & filij Dei, licet igitur Christiano proprias possessiones habere etiam amplas. Sed hanc Psalmistæ regulam obserua, psal. 61. Diuitiæ si adfluant, nolite cor apponere. Nemo. n. potest seruire deo et Mammonæ Mat 6.*

*Christus*

Christus auaritiã hoim reprehendit, nõ prohi-  
 bet usum diuitiarũ. Sed præceptor noster iussit  
 ut hanc Pauli admonitionẽ ad uerbũ ediscamus,  
 tanquã antidotũ contra uenenũ auaritiæ. Ti-  
 moth. 6. *Questus magnus est, pietas, cũ animo  
 sua sorte cõtento, nihil enim intulimus in mun-  
 dum, uidelicet nec efferrẽ quicquã possumus, sed  
 habentes alimẽta et quibus tegamur, his cõtẽ-  
 ti erimus. Ceterũ qui uolũt ditescere, incidũt in  
 tentationẽ & laqueũ et cupiditates multas, stul-  
 tas ac noxias, quæ demergunt hoies in exitiũ et  
 interitum, siquidẽ radix oim malorũ est studiũ  
 pecuniæ, quam quidã dum appetunt, aberrau-  
 runt à fide & seipsos implicuerunt doloribus  
 multis. Dein non iubet Paulus, diuitias in mare  
 abicere, quod philosophum quendã ambitiose se-  
 cisse legimus, sed iubet ijs benefacere proximo.  
 2. Timoth. 6. His qui diuites sunt in præsentĩ se-  
 culo, præcipe ne elato sint animo, neq; spem po-  
 nant in diuĩ ijs incertis, sed in deo uiuente, qui  
 præbet nobis omnia affatim, ad fruẽdum, ut be-  
 nefaciant, ut diuites sint operibus bonis, ut faci-  
 les sint ad imparciendum, libenter communican-  
 tes, recondentes sibi ipsis fundamentum bonum  
 in posterum, ut apprehendant æternam uitam.*



CATECHESIS,  
FRIDERICHVS.

Octauum præceptum iam mihi exponito.

F. OTTHO.

VIII. Non loqueris contra proximū  
tuum, falsum testimonium.

Hoc præceptum munit iu-  
dicia, in quibus defen-  
duntur.

{ Corpora nostra  
Coniuges  
Res &  
Fama uel nomen  
ehr vnd gut gerucht

{ Veritas in  
Candor

{ Iudicijs.  
Contractibus:  
Pactis.  
Dictis.  
Factis & in omni uita.

Opera bona  
huius præcep-  
ti.

Simplicitas, id est, rectitudo, seu ingenuitas,  
quando oia sine furo, simulatione et insidijs,  
serio & bono studio agimus.

{ Usus linguæ ad defensionē et bonū proximi.

{ Mendacium, quod Deus maxime abominat-  
tur, Prou. 6. Nam maxime contra naturam  
hominis est mendacium. Ideo præcepit Do-  
minus Exo. 23. Mendacium fugies, est enim

uilius

uitium uere diabolicum. Nam Diabolus est mendax atq; eius rei pater.  
Ioan. 8.

Peccata con- In iudicijs ueritatem dissimulare, fraude  
trahãc opprimere, falsa testari, calumniari,  
legem. obirectare, deferre, adulari, Maledi-  
cere, denleuthen vbel reden,

Non tueri famam proximi, præbere au-  
res detractoribus, eos non obiurga-  
re & repellere.

Lingua deniq; quacunq; ratione contra  
proximum abuti:

## FRIDERICHVS

Quæ sunt & hoc loco pœne, & quæ  
præmia?

## F. OTTHO

Prouerb. 19. Testis falsus non erit impuni-  
tus, & qui mendacia loquitur non effugiet.

Prouerb. 21. qui custodit os suum, & linguã  
suam, custodit à tribulatione animam suam.

Psal. 33. Quis est homo qui uult uitam, di-  
ligit dies uidere bonos, prohibe linguam tuam  
à malo, & labia tua ne loquantur dolum.

## CATECHESIS,

Luc. 6. Nolite iudicare, & non iudicabimini  
ni, nolite condemnare, & non condemnabimini.  
Bonum nomen omnibus diuitijs seculi prestat.  
Quare detractores qui bonam fratris famam  
mendacijs denigrāt, debent ei restitutionē fame.

### FRIDERICHVS.

Nunc tandem & postrema duo præcepta mi  
hi explicato.

IX.

### F. OTTHO.

Nonum. Non concupisces do  
mum proximi tui.

X.

Decimū. Non concupisces uxō  
rem eius, non seruum, non an  
cillam, nō bouem, non asinum,  
nec omnia quæ illius sunt.

Apostolus Rom. 7. hæc duo præcepta conne  
tit: peccatum (inquit) nō cognoui, nisi per legē.  
Nam & concupisceniam non nouissem scilicet  
esse peccatum, nisi lex dixisset, nō concupisces.

### FRIDERICHVS.

Quæ igitur bonæ quæ uirtutes exigunt à  
uobis hæc duo præcepta & quæ uitia prohibent.

F. OTTHO

Perfectissimam cordis humani puritatē,  
ut sis integer & purus ab omni inqu  
namento malarum cogitationum, &  
prauorum adfectuum.

Exigūt naturæ nostræ lapsæ integritatē,  
summā castitatē, & uerā spiritus pau  
pertatē, oī praua cupiditate radicitus  
euulsa, ne sibi quidē relictis, ut per  
fecte oīa quæ in rem et salutem proxi  
mi tui sunt expetas, & ei fauentissi  
mo corde optes.

Ha  
uirtu=  
tes exi  
gunt.

Illā naturæ nostræ integritas, & uera perfe  
ctio inchoatur in hac uita per spiritū sanctū, qui  
nos renouat, sed perficietur plene in die redemp  
tionis, id est, generalis resurrectionis, quando  
imago Dei in nobis perfecte instaurata, & resti  
tuta fuerit.

Virulentissimam radicem omnium pec  
catorum, Peccatum originale, die erb  
fund, cordis concupiscētiam, malitiā  
naturæ corruptæ quæ nobiscum nasci  
tur, de qua conqueritur Dauid Psal:  
51. Ecce in iniquitatibus conceptus  
sum & in peccatis concepit me mater  
mea. Et Apostolus Ephesiorum secun.

## CATECHESIS,

**I** Eramus natura filij iræ, id est, peccatores, nascebamur peccato corrupti & deprauati, ut iure nobis Deus irasceretur & nos damnaret: adferimus enim nobiscum morbum naturæ peccatum originis, quod est causa omnium malorū adfectuum, ideo Ieremias cap. 17. uocat cor hominis prauum. Et Moses Gen. 6. & 8. depingit nobis illam naturæ corruptionem & malitiam peccatum originale horrendo colore. Sic enim ait: omne figmentum cogitationum cordis humani tantummodo est malum ab adolescentia per singulos dies. Ecce **U**erter cordis humani, id est, quicquid cogitat & cupit, solummodo malū est, cor ipsum est infectum & deprauatum, quod est fons operū. Deprauatio enim illa est in ratione & uoluntate, Sicut & Christus, Matth. 15. hanc sententiam describit. Quæ ex corde egrediuntur, impurum reddūt hominem: nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia.

Ideo Moses in lege Deut. 10. præcipit ut Israelitæ corda circumcidant, id est, ut peccatorū originem, fontem & officinam repurgent & emundent. Circumcidite, inquit, præpuciū cordis uestri.

dis uestri. Hic uelut digito demonstrat nobis ag-  
 natam malitiam, corruptionem, & peccatum  
 nostrum natale. Et ne nobis uideremur innocen-  
 tes, si forte ab externis interdum sceleribus ab-  
 stinuerimus, his duobus ultimis præceptis, inter-  
 nam nature prauitatem, & immunditiam nobis  
 reuelat, & totius nature peccatum accusat &  
 damnat.

Et hic obserua quanta sit eminentia legis di-  
 uinæ. Humane leges internam cordis uomicam  
 relinquunt intactam. Nullus fur suspenditur pro-  
 pter uoluntatem furandi, sed tantum propter ac-  
 tum furti. Arguunt et prohibent tantum exter-  
 na peccata, quæ etiam humana ratio nouit. Sed  
 lex Dei perfectissima, perfectissimam obedienti-  
 am exigat, prohibet omnia uicia externa & in-  
 terna, exigat internam et externam innocentiam,  
 & perfectionem. Nam Paulo teste est spiritua  
 lis, hoc est præcipit & exigat non tantum exter-  
 na bona opera, sed munditiam cordis, puras co-  
 gitatiões & Sancta desideria, adfectus sanctos,  
 notitiã, timorem, fiduciam, & dilectionem Dei,  
 plenamq; obedientiam in omnibus operibus di-  
 uinis. Nam homo est imago Dei, ideo debet om-  
 nibus modis talis esse, qualem eum uult esse diui-

Legis diuinæ  
 eminentia

Roma. 7.

## CATECHESIS,

na uoluntas, quæ est omnis boni rectiq; infallibilis regula, quicquid huic dissentaneum est, malum est.

## FRIDERICHVS

Definito mihi peccatum originale, & simul doce quotuplex sit peccatum.

## F. OTTHO.

Primum animaduerte quid sit iusticia originalis, quæ erat integritas uirium humanarum, qua Natura humana bene condita poterat legi diuine obedire. Nam homo erat conditus ad imaginem & similitudinem Dei Gene. 2. quæ imago erat, teste apostolo ad Ephe. 4. Colos. 3. noticia dei, iusticia & ueritas. Sed peccatum horribiliter hanc imaginem dei in homine corruptit & obliterauit, ut omnes homines naturaliter ab Adam prognati ignorent deum, sint iniusti & mendaces. Ideo missus est filius Dei Christus, Iesus ut hanc imaginem Dei in homine instauraret & renouet uerbo & spiritu sancto, ut homo uerus per & propter Christum consequatur certam dei conditoris sui noticiam, iusticiam, ueritatem & sanctitatem.

Peccatum autem Originale est illius iusticie originalis carètia et imputatio qua posteritas Adæ propter

propter parentum primorum delictum rea nascitur aeternae mortis, estq; horrenda corruptio naturae humanae, quae secuta est lapsum Adae, qua sic sunt infecta, deprauata & fractae vires animae & corporis, ut nō possint uere legi diuinae obedire. Augustinus contra Pelagianos, uocatur Augustinus  
 cai hoc peccatū concupiscentiā, sed simul com contra iulia  
 prendit defectus illos grauissimos & uicia e num lib. 3.  
 norma, ignorare Deum, contemnere deum, non  
 posse credere Deo, aut eum timere ac diligere,  
 duplex igitur peccatū describit apostolus Ro. 5.

Originalis quod in natiuitate carnali contrahunt omnes homines qui naturali  
 Peccata nascuntur.

Actuale peccatum, quod Originali additū duplex.   
 est maledictae arboris maledictus fructus, nempe originalis peccati, ut sunt adfectus prauis, cogitationes, dicta & facta contra decem praecipia dei.   
 Verumq; peccatū etiam uocatur mortale, id est, dignum aeterna morte.

Nam etsi quaedam peccata, utpote sanctorum, uocantur uenialia, non tamen ex natura sunt uenialia, id est, digna quae ueniam consequantur, sed tantum ex gratia Dei propter Christum, siue apprehensum. Sicut Apostolus Ro. 8. dicit:



## CATECHESIS,

Nullam esse condemnationem in uere Christianis. Non dicit nullum peccatum, sed nullam condemnationem, quia propter Christum non imputantur eis peccata ad mortem.

### FRIDE.

Quæ sunt pœnæ Originalis peccati, quod ab Adam in nos dimanat?

### F. OTTHO.

Mors corporalis, æterna, morbi, dolores, cædes, omnesq; calamitates, quibus natura humana adfligitur, tyrannis Satanae, in cuius potestate iusto dei iudicio lapsa est natura propter peccatum, qui sic dominatur in ijs qui Christum redemptorem ignorant, ut eos impellat ad omnis generis flagitia, ad blasphemias, hæreses, seditiones, cædes, odia, hypocrisin. Philosophia miratur & ignorat unde in naturam humanam uenerit illa prauitas & tanta mala. Sed sacrae literæ docent, Causam tot Malorum esse peccatū originis. Gen. 2. ait Deus ad Adam: quocunq; die comederis ex ligno scientiæ boni & mali, MORTE morieris. Et Rom. 5. Per unum hominem, peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines Mors perua sit, eo

Mors unde.

fit, eo q̄ omnes peccauerunt, id est, rei facti,  
 seu peccatores sunt, seu habēt peccatū. Et Ro. 6.  
 S'pendia peccati mors. Et obserua diligenter,  
 quòd Diabolus mendax & uoluntas primoruna  
 parentum sunt causa peccati Originalis, Deus  
 nullius peccati causa est. Nam bene creauit natu  
 ram, sed uoluntas malorum, uidelicet diaboli et  
 impiorum est causa omnis peccati.

## FRIDERICHVS.

Quare lex Dei neminem potest iustificare  
 cum tamen sit doctrina perfectissima, omnia bo  
 na opera & omnem hominis perfectionem, quā  
 optime docens & præscribens?

## F. OTTHO.

Culpa non debet adscribi sanctæ, iustæ &  
 bonæ legi Dei, sed nostræ naturæ peccatrici &  
 corruptæ, quæ etsi audiat legē omnia bona præ  
 cipientem & omnia mala prohibentem, non po  
 test tamen suis uiribus uel intelligere uel imple  
 re legem, sed peccatis cæca delectatur, tantum  
 abest ut suapte ui fugiat peccata & bona opera  
 sectetur. Verissime igitur Augustinus de spiri  
 tu & litera & de natura & Gratia scripsit, *Augustinus*  
 Homini ad iusticiam non tantum esse necessa

## C A T E C H E S I S,

rium doctorem, sed Christum, adiutorem, medicum & iustificatorem, qui cor renouet, & spiritum donet, ut lex etiam in cordibus nostris scribatur. Voluntas per legem ostenditur infirma ad bonum faciendum, datur gratia Christi ut sanet uoluntatem, Sanata uoluntas incipit facere legem, illa obedientia legis est in hac tota uita adhuc exigua & plus nimio imperfecta, quia uix inchoata, herent enim in natura nostra reliquiae peccati, placet tamen illa exigua obedientia Deo, & conuenit ad reliquum peccatum propter Christum, in quem credimus, & hac fide sumus iam filij Dei, & facti membra Christi. Ideo nulla est damnatio in nobis, etiamsi sit adhuc peccatum.

## FRIDERICHVS

Audis etiam iustificatos et habentes spiritum sanctum, propter peccatum adhuc inhabitans in carne, legem non implere, Ergo lex eos ut peccatores damnat?

## F. OTTHO.

Minime, habent enim grande priuilegium praeter alios peccatores. Hoc te uelim alta mente reponere

te reponere ut *Theſaurum*, quicquid in iuſtifica-  
tis deſideratur & deest impleioni legis, ut ſem-  
per multa deſunt, non imputatur eis ad damna-  
tionem propter fidem in *Chriſtum*, ut hæc aurea  
Apoſtoli uerba docent *Gal 3*. *Chriſtus factus*  
eſt pro nobis maledictum, ut nos à maledictione  
legis redimeret, id eſt, lex damnat iure optimo  
omnes homines ut transgreſſores legis. Verum  
pater cœleſtis ex mera charitate, miſit filium ſu-  
um *Chriſtum innocenter Agnum*, qui nullū pec-  
catum fecit, imo nec facere potuit, ille ſubiit pœ-  
nam peccati & factus eſt pro nobis uictima ex-  
piatoria & propiciatoria in cruce, atq; legi ac-  
cuſatrici ademit ius illud damnandi illos qui cre-  
dunt in *Chriſtum*. Nam ipſe eſt propiciatio pro  
eis, ut ipſi iam, etiamſi adhuc in ſe ſint peccato-  
res, tamen iuſti nunc reputentur propter *Chri-  
ſtum*, qui ſolus legem perfectiſſime impleuit, &  
ex gratia nobis à patre donatus eſt, ut ipſe ſit iu-  
ſticia noſtra, et impletio eius fiat noſtra, 2. *Cor.*  
1. Ideo *Roma. 10*. Apoſtolus clare pronunciat  
**CHRISTVM** eſſe impletionem legis ad iu-  
ſtificationem omni credenti, id eſt qui in **CHRISTVM**  
legis impletorem credit, habet iam  
hoc quod lex poſtulat, ex Gratia imputante,

## CATECHESIS,

etiam iustus reputatur apud Deum, ac si ipse legem proprijs operibus impleuisset. Habet enim per fidem in Christum primo remissionem omnium peccatorum, propter quæ lex ipsum dæ nauit, deinde spiritum sanctum etiam accipit cuius gratia & auxilio incipit etiam in se obedire legi. Postremo quicquid adhuc non impletur, propter Christum, remittitur & nõ imputatur. Hanc Apostoli doctrinam necessariam probe intellexit Augustinus, qui libr. 1. Retracta. cap. 19. disputat an lex in hac uita impleatur, & respondet adhuc modum: Omnia mandata dei impletur, quando quicquid non fit, ignoscitur

## FRIDERICHVS.

Quid opus erat lege, uel decem præceptis, si non possunt iustificare peccatores, sed tantum damnare?

## F. OTTHO

Legis doctrina modis omnibus necessaria est homini, ut coërceat, arguat, & erudiat: Primo enim lex est iniustis posita. 1. Timoth. 1, id est, data est ut per eam tanquam freno aut re pagulo coërceantur iniusti, ne impune expleat desideria carnalia. Lex enim est pædagogus, compefcens

compescens effrenem malitiam hominum, sicut  
catenæ & uincula uinciunt et coërcent leones  
& efferas bestias, ne lædant homines.

Ad hanc necessariam disciplinam retinendâ  
ordinauit Deus magistratum, ut custodem legis,  
legem, doctrinam, pœnas, & calamitates. Cum  
enim nulla sit efferacior bellua, quâ agnata cor-  
dis nostri malitia, & concupiscentia, certe ad  
eam domandam omnino his frenis & uinculis o-  
pus erat, ut qui Christiani esse nolunt, lege ta-  
men territi, minus sint mali & nocentes, quàm  
uolunt, ut saltem pax externa seruetur.

Dein incredibilem utilitatem adfert lex, quâ  
do nos carnaliter securos & in peccatis sterten-  
tes salubri austeritate expergefacit, terret, pec-  
catum arguit & reuelat. Roma. 3. Lex est cogni-  
tio peccati.

Hic uidebis, etsi lex nõ possit iustificare pec-  
catorem, tamen præparat eum ad ueram iustifi-  
cationem. Nam quando spiritus sanctus per le-  
gem arguit mundum de peccato, & per terre fa-  
cit conscientias, ut peccator iam uideat suam ma-  
ledictionem, miseriam, & damnationem, tum fit  
cor contritum, & humiliatum hac cognitione  
proprie miserie, et incipit de se & suis uiribus

## C A T E C H E S I S,

desperare, & sitire & quærere gratiam medici unici, ac mediatoris IESV CHRISTI.

Ita lex fit noster pädagogus ad Christum, quem sine hac cognitione non quæreremus, sed stupidi, & cæci putaremus nos esse sanos, & in exicali morbo periremus.

Ad hūc modum facit lex pauperes spiritu, id est, contritos, quibus deinde ut idoneis auditoribus utiliter prædicatur Euangelium de gratia Dei in Christo. Infirmus enim magno desiderio confugit ad medicum. Ecce quàm bona & necessaria Monitrix est lex dei, ne moriamur stupidi in peccatis nostris, urget enim peccatores ad unicum iustificatorem, & saluatorem CHR I STVM IESVM.

Postremo necessaria est lex iustis et iniustis, ut elenchus bonorum operum. Discimus enim in ea qui sint ueri cultus Dei, quæ sint uere bona opera Deo grata. Est lex Dei perfectissima doctrina omnis honestatis, & omnium bonorum operum, cui si contuleris omnes Ethnicorum libros apud philosophos meræ sunt tenebræ. Porro cū in Christianis reliquæ peccati supersint, carere & ipsi lege nec possunt, nec debent, ut arguantur, et coërceantur p legē. Oportet enim iustificatos

Iustificatos iugiter uersari in meditatione legis  
diuine ut Deo obediant.

Iam obserua uerbum Dei Leuit. 18. quod est  
promissionum legalium summa. Ego Dominus  
Deus uester, custodite leges meas atq; iudicia,  
QVAE FACIENS HOMO VIVET IN EIS.  
Sicut Christus legis peritorespondet interrogã  
ti, quid faciẽdo uitã eternã possidebo? Hoc fac,  
id est, Dilige Dominum Deum tuum ex toto cor  
de &c. & proximum tuũ sicut te ipsum, id est,  
imple totam legem, ET VIVES, nimirum uitã  
eterna.

Et Matth. 19. Si uis ad uitam ingredi, serua  
mandata.

Summa minarum legalium est, Deut. 27. Ma  
ledictus omnis qui non manserit in omnibus ser  
monibus legis, ut faciat ea.

## FRIDERICHVS.

Exime mihi & hunc scrupulum, audio lege  
neminem iustificari, sed nos omnes damnari &  
maledici, quippe iniustos, cum in hac corrupta  
natura nemo propria impletione possit legi sa  
tis facere, uel perfecte obedire. Et nemo saluatur  
nisi iustus, quæ igitur supest nobis spes salutis &



## CATECHESIS, F. OTTHO

Vera dicis. Nemo in hac uita iustus est propter obedientiam legis, quia nemo satis facit legem tam ardua ex genti, ideo nobis alia uia ad iusticiam & salutem quaerenda est, quae in per legem, nempe in diuinis promissionibus, quae sunt Euangelium dei promissum per prophetas, in scripturis sanctis de Christo Iesu filio Dei, quid fecerit & passus sit, ut nos à peccatis, morte & diaboli potestate redimeret, id est, iustos & saluos efficeret in aeternum.

Hæc est igitur nunc unica uia implendi legem, consequendi iusticiam & uitam aeternam, nempe credere in Iesum Christum, qui et legem perfectissime impleuit, & pro peccatis nostris satisfecit, Deo patri nos sua morte reconciliauit, remissionem omnium peccatorum, & uitam aeternam nobis meruit. Quare qui in hunc IESUM CHRISTUM credit, ut unicum nostrum redemptorem, mediatorem & iustificatorem & saluatorem, ille hac fide certo & gratis per misericordiam Dei in Christo promissam, & propter Christi merita non propter suam impletionem legis, consequitur remissionem peccatorum, iustificationem, ut iam reputetur coram Deo iustus, ac

stus, ac si legem Dei suis perfectis operibus impleuisset, & tandem uitæ æternæ sorti etur hæreditatem.

Nullus igitur homo suis operibus, passionibus ac meritis coram Deo iustificatur, sed tantum per misericordiam Dei ex meritis infinitis Iesu Christi.

Ideo Petrus Act. 15. in concilio Apostolico ingenue fatetur, neque Apostolus neque patres eorum, legem implere & per legem iustificari & saluari potuisse, sed per gratiam Domini Iesu (inquit) credimus nos saluos futuros, sicut & isti. i. gentes saluantur fide Christi sine meritis proprijs. Sic patres etiam ante incarnationem Christi non sunt iustificati, per legem ac opera legis, sed per promissionem & fidem. Omnes enim in omni necessitate confugerunt ad gratiam & benedictionem Dei in Christo promissam, tanquam ad asylum, & sic liberati sunt à peccato & morte.

Act. 10. Omnes prophetae testimoniū ferunt Christo, & remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, id est, propter ipsum, ac ipsius merita, quisquis crediderit in eum

Act. 13. Per Christum uobis annunciatur ra

## C A T E C H E S I S,

missio peccatorum & ab omnibus à quibus non potuistis per legem Moysi iustificari, per hunc (Christum) omnis qui credit, iustificatur.

Act. 16. Custos carceris adcidit Paulo & Silae ad pedes, dicens, Domini quid me oportet facere, ut saluus fiam? cui illi dixerunt, Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua, quasi dicerent. Hoc quod tu potes facere uel opera tua, non possunt te saluare, sed solus Christus si in eum credideris, ideo Apostolus Ro. 3. sic de iustificatione pronūciat. Arbitramur fide iustificari hominem absq; operibus legis, id est, pronunciamus coram toto mundo nullum hominem per opera legis iustificari coram Deo, sed tantum consequi remissionem peccatorum reputariq; iustum propter Christum per misericordiam si in eum crediderit.

Hic diligenter obseruabis, iustificationem peccatoris, esse meram gratiam, quātum ad nos attinet, nos enim non possumus eam mereri, sed si respexeris ad Christum, inuenies infinitum meritū. Oportebat enim interuenire immensum precium redemptionis, quo redimeremur à diabolo, & perfectissimam hostiam Deo offerri pro peccatis mundi, ut per eam placatus Deus reconciliaretur

ἀντίλυτρον  
 ὡς πάντων  
 τῶν.

ciliaretur generi humano, hæc hostia est Christi  
 stus, agnus Dei tollens peccatum mundi. Vide  
 obsecro quãta fuerit ira Dei contra peccatores,  
 nulla enim hostia placari potuit Deus iratus  
 peccato, nisi tantum morte unigeniti filij. Ideo  
 Apostolus Rom. 3. cum dixisset, nos omnes esse  
 peccatores, iustificari autem gratis per illius  
 gratiam, mox addidit, Per redemptionẽ quæ est  
 in Christo Iesu, quem proposuit Deus propicia-  
 torium per fidem interueniẽte ipsius sanguine.  
 Sic enim malo interpretari græcam uocẽ in ge-  
 nere neutro  $\delta\iota\lambda\alpha\sigma\iota\sigma\tau\iota\omicron\nu$ , id est, propiciatori-  
 rium, quã in  $\iota\lambda\alpha\sigma\iota\sigma\tau\iota\omicron\nu$  in masculino, nam Apo-  
 stolus proculdubio tractans Rom. 3. ueritatem Propiciatori  
 & lucem Christum, respexit ad propiciatorium um.  
 Iudæorum, id est, coopertorium arcæ Testamen-  
 ti, quod erat figura & umbra Christi uenturi,  
 Exodi. 25.

Similiter docet Christus Ioan. 3. Sic Deus  
 dilexit mundum, ut filium suum unigenitum da-  
 ret, ut omnis qui credit in eum nõ pereat, sed ha-  
 beat uitam æternam. Si fides in Christum conse-  
 quitur uitam sempiternã, Ergo per fidem etiã  
 iustificamur. Nam hæc tria, quæ nobis in Euan-  
 gelio promittuntur & donantur, cohærẽt, nem

## C A T E C H E S I S,

pe remissio peccatorum, iustificatio & donatio uitae aeternae.

Porro idem praedicarunt, etsi aliquanto tectius, prophetae omnes, qui unanimiter & uno spiritu uaticinati sunt de officio et meritis Christi, q̄ morte sua, & resurrectione peccata nostra fuerit expiaturus, & ueram iusticiam allaturus, quod legis maledictionem ipse unus debuerit & potuerit auferre, & ueram benedictionem reddere, id est, iusticiam & uitam aeternam.

Moses concionatur Gen. 3. de semine mulieris cōtrituro caput serpentis, id est, de Christo uicturo Diabolum, & destructuro regnum peccati & mortis. Et cap. 22. promittit in semine Abrae genibus uniuersis benedictionē, id est, remissionem peccatorum, iusticiam, spiritū sanctum, et aeternam uitam in regno caelesti per & propter Christum.

Nec tacent prophetae quomodo haec beneficia Christi accipiamus. Isa. cap. 53. palā docet per fidem in Christum nos haec inestimabilia bona accipere. Seruus meus (inquit) iustus cognitione sui, iustificabit multos, quorum iniquitates ipse portabit. Quid autem aliud est noticia Christi, uel scire Christum, quā credere in Christum, ut

stum, ut in unicum precium redemptionis pro nobis. Hac igitur noticia, uel fide consequimur remissionem peccatorum, et omnia Christi beneficia. Fide tantū iustificamur Paulo teste. Quare necessarium est hanc iustificatricem noticiam esse ipsam fidem, uel fidei iustificatrici inseparabiliter esse iunctam. Tum si hac noticia Christi iustificamur, profecto Moabitica sophistarum superbia cōfundetur, quæ fidem somniat esse noticiam historiæ tātum, quam & Satan habet meliorem, & certiolem, quàm sophistæ mancipia Pape. Oportet certe hanc noticiam Christi, esse, non solum intelligere literaliter historiam passionis Christi, & Euangelistas, sed & uelle serium, & accipere prompta uoluntate, oblatā in Euangelio gratiam omnem, promissionem remissionis peccatorum & iustificationis, quemadmodum exemplum Chananæ Matth. 5. abunde testatur, quæ non solum intellexit summam illam Euangelij, nempe Iesum Nazarenum esse uerum illum Messiam, Davidis filium, apud quæ gratiam Dei, & in omni necessitate auxilium & liberationem quærere debemus, sed etiam hanc gratiam & hoc promissum auxiliū importuna quærebat & ex animo cupiebat, sicut eius

## CATECHESIS.

*fides, eximie in tentatione constans, testatur, & Christus ait: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis.*

F. OTTHO

II ▶



VNC de secunda Catechismi parte, nempe de præcipuis Euangelij ac Christianæ fidei articulis in symbolo apostolorum, ut ordo postulat, colloquemur.

FRIDERICHVS.

Quid est Euangelium?

F. OTTHO.

Euangelium  
quid.

1. Petri. 1.

Euangelium græce sonat bonum nuncium, qua appellatione nouum testamentum insignitur ab Apostolis, & est bonum illud nuncium per spiritum sanctum, ait Petrus, emissum è cælo, de philāthropia Dei, qui sic nos dilexit prior, ut suum unigenitum filium in mundum miserit, ut uerus homo ex semine Dauid nasceretur, pro peccatis nostris moreretur & resurgeret, sicq; nos à peccato, morte & Diaboli tyranni de redimeret, iusticia, uita, & salute æterna donaret,

Hic obserua, Euāgelium nobis diuinitus esse reuelatum,

reuelatū, & sapientibus seculi esse absconditū,  
 & rationi humanæ ignotum, magna ergo diffe-  
 rentia est inter legem & Euangelium. Lex cor-  
 dibus hominum inscripta est, & promittit etiam  
 nobis auxilium Dei. Docet & eius gratiam, do-  
 cet Deum esse bonū & misericordem, sed addit  
 hanc conditionem. Si iusti & sine peccato fueri-  
 mus. Sed Euangelium promittit gratiam &  
 auxilium Dei, nobis indignis peccatoribus, sine  
 illa conditione, nempe q̄ gratis propter Chri-  
 stum, Deus nobis uelit remittere peccata, si in  
 Christum crediderimus, & quòd hanc fidem ue-  
 lit nobis imputare ad iusticiam, ac si legem ipsi  
 impleuissimus, & donare spiritum sanctum, &  
 uitam æternam. Hic non addit si legem perfecte  
 impleueris, sed fidem tantum uel fiduciam in  
 Christum exigit, ut promissio reconciliationis  
 sit nobis certa, ne dubitemus de gratia Dei erga  
 nos, nam si in Euangelio etiam adderet illam cõ-  
 ditionem. Saluabo uos, si legem meam impleue-  
 ritis, certe nemo hominum unquam posset salua-  
 ri, cum nemo legem perfecte impleat. Sed hæc  
 est illa læta annunciatio quæ totum mundum re-  
 plet læticia, q̄ credentibus gratis per miseri-  
 cordiã peccata certo remittuntur propter Chri-

1. Timoth. 2.

Tit. 2.



## C A T E C H E S I S,

stum qui ea portauit, & pro his semetipsum obtulit & precium redemptionis eterne dedit.

## FRIDERICHVS.

Quod est Symbolum Apostolorum, & quæ est huius nominis ratio?

## F. OTTHO.

*Symbolum Apostolicū.* Symbolum Apostolorum, est illa summa eorum, quæ christianū firmiter credere oportet, quæ et nos unā cū nutricis lacte imbibimus. nempe. Credo in unum Deum patrē, oī potentē creatorē cœli & terræ.

Vocatur symbolum à συμβάλλω, id est, confero, quod plures conferunt in unum. Nam Ruffinus Aquileiensis ecclesie præbyter, scribit apostolos antequam in orbem uniuersum discederent prædicaturi Euangelium, hoc concordis doct. in e, & fidei indicium composuisse, ut per eam collationem agnosceretur is, qui Christum uere secundum Apostolicas regulas prædicaret.

Vocatur itaq; apostolorum symbolum, quod ab apostolis traditum sit Ecclesie, ut testatur Ambrosius lib. 10. epistolarum, epist. 51. Et Hieronymus

ronymus contra Ioannem Hierosolymitanum.  
 Esse autem hanc summam credendorum ab apo-  
 stolis traditã, facile nobis persuadent Ignatius,  
 & Polycarpus, Ioannis Euangelistæ discipuli,  
 qui proculdubio apostolicam doctrinam, ea qua  
 acceperant, sinceritate, & simplicitate, reddi-  
 derunt, & hos articulos, hoc propemodum or-  
 dine, quo hodie solet Ecclesia, & penè ad uerbũ  
 recensent in Epistolis suis.

## FRIDERICHVS.

Doce obsecro quid sit fides uel credere?

## F. OTTHO.

Fides quã sic uehunt scripturæ sanctæ et qua Fides quid est  
 nos coram Deo iustificamur, quam Euangelium  
 a nobis exigit, non est animi cognitio frigida  
 historie de Christo, sed est fiducia misericordie  
 diuine in Christo & propter ipsam nobis pro-  
 missæ, assentiens promissioni Euangelicæ.

## FRIDERICHVS

Quomodo hanc fidem consequimur?

## F. OTTHO.

Ex prædicatione Euangelij, prædicat enim  
 nobis Euangelium, pœnitentiam & remissionẽ

## C A T E C H E S I S,

peccatorum in nomine Christi. Cum itaq; ex legis prædicatione cognoueris tua peccata, iram dei et damnationem, perterrefit cōscientia tua, cor fit contritum & humiliatum, mox profert Ecclesiastes Euangelium, docet quid propter tuam salutē fecerit et passus sit Christus filius dei, & proponit tibi dulcissimas promissiones gratiæ, quòd Deus placatus sit tibi Morte filij, & propter filij merita uelit tibi remittere oīa peccata & te donare sempiterna iusticia & salute. Ecce frater si hic assentiris huic promissioni, si uis & accipis oblatā illam in Christo misericordiam & salutem, iam habes fidem ueram. Nam spiritus sanctus per Euangelium ut per suum organum efficax est, mouet, illuminatq; cor luce quadam cœlesti perfundit, ut Euangelicæ promissioni firmiter assentiaris, eamq; auide per fidem accipias & retineas.

**Fides generalis.**

Hæc ideo in te transtuli, ut scires non sufficere generalem illam fidem, quam & demones habent, cum quis credit Deū propiciū quidē esse Petro, Paulo, & alijs sanctis, sed non credit se etiam habere placatum & fauentem Deum.

**Fides specialis.**

Fides igitur specialis hic requiritur, quæ est propria Christianorum, qua credit unusquisq; SIBI remitti peccata à Deo patre propter Christi

stum, sola hac fide iustificaris, quare sola hac applicatur tibi Christi meritū, si etiam tibi credis Deum esse reconciliatum per Christi mortē. Huius fidei clarissimum exemplum uidemus in Paulo. Gal. 2. qui sic ait. Vitam quā nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. En frater non dicit, Christū se tantum pro alijs tradidisse, sed specialiter fide applicat sibi passionē Christi, uiua fiducia nititur Christo redemptore, nihil dubitat se etiā esse redemptum per mortē Christi à peccatis, morte & Satana, & quicquid Christus propter peccatores fecit & passus est, ad se quoque pertinere, firmiter credit.

Hinc facile intelligis, quid sit fidē habere uel credere in scripturis sanctis, nempe omni uerbo dei constanter assentiiri, *vest, on allen zuifel fur die gotlichen gruntlichen uuarheyt halten* quia ipsa ueritas loquitur: ita enim præfatur propheta cōcionaturi. Audite uerbum domini, uel hæc dicit dominus exercituum Deus Israel, *Credere in Deū, id est, uera et tota fiducia cordis in niti Deo, uerbū eius ut certissimam & indubitatam ueritatem fide amplecti.*

Quod autem fides, significet fiduciam in se, *Fides id est, recordia Dei, quā peccatori propter Christum fiducia,*

## C A T E C H E S I S,

promisit, exempla Euangelij Dei abunde testantur, ubi fides commendatur Matth. 8. Centurio adiit Christum, petit famulo sanitatē corporis, tribuit Christo gloriam potentiae & bonitatis, se indignum confitetur, qui Christum hospicio recipiat, obsecrat Dominum ut tātum dicat uerbum ut sanetur famulus. Hanc fidem commendat Christus prae fide Israelitarū, & postea ait, Quemadmodum credis ita tibi fiat. Hic credere certe est fidere potētia & misericordia Christi, q̄ possit & uelit iuuare.

Luce. 7. Venit Maria Magdalena ad Christum, peccatrix ad iustificatorem, et credit eum esse uerum Messiam saluatorem mundi, quærit apud eum remissionem peccatorum, Christus absoluit eam dicens, remittuntur tibi peccata, fides tua te saluam fecit, uade cum pace. Quis est tam stupidus qui non intelligat hoc loco, fidē esse fiduciam misericordiae? Mulier enim flebat, sciens se quidem beneficio tanto indignam, sentit nihil nisi poenam & æternum supplicium commiseruisse, accedit tamen fidens bonitate Christi & expectat donū iustificationis, quare uerba Christi hunc sensum habent, irrequietam conscientiam habes mulier propter peccata tua, times iudicium

iudicium Dei, cupis à peccatis liberari, & confidis in me, quòd tibi sim futurus propitijs, & tu misere ar, nec te propter indignitatem tuam sim repulsurus, remitto igitur tibi peccata tua, abi cum pace & gaudio conscientie, Deus propter me iam te in gratiã recepit, ipse pater tuus est, tu filia eius.

Apostolus in Romanis & Galatis, fidem a deo clare pro fiducia promissæ misericordiæ in Christo Iesu accipit, ut nemo sanæ mentis hoc negare aufit.

Primus itaq; fidei articulus, docet nos omnium rerum creationem & Deum nobis consolantissimis epithetis depingit, uocat patrem, omnipotentẽ, & creatorem cœli & terræ, id est, omnium creaturarum uisibilem & inuisibilem.

Primo audis unum esse Deum, ut spiritus sanctus docet per Moysen, Deute. 6. Audi Israel DOMINVS DEVS noster DEVS VNVS EST, & Apostolus 1. Cor. 8. Nullus est inquit Deus alius nisi VNVS: Nam etiamsi sunt qui dicuntur dij siue in cœlo siue in terra, quemadmodum sunt dij multi, et Domini multi, nobis tamẽ unus est Deus. Quidã dicuntur dij falso, ut stulta gentilitas multos Deos cõmentata est. Diabolus enim

## C A T E C H E S I S,

gentes quæ sine Christo erant, sic demētavit, ut triginta Deorum nullia cōfinxerint, testibus Hieronimo & Eusebio de præparatione Euangelica lib. 5. cap. 5. Magistratus dicuntur dii, non natura, sed nuncupatione honoris quasi uicarij dei in terra, qui gerunt officium ordinatum & mandatum à Deo.

Obserua autem Frater, quod scripturæ sanctæ docent, unam quidem esse essentiam diuinam, sed tres personas, patrem & filium & spiritum sanctū. Et quāuis, ut diuus Athanasius ex scripturis docet, alia sit persona patris, alia filij, alia spiritus sancti, nihilominus tamen, patris & filij & spiritus sancti, una est diuinitas, æqualis gloria, cōcœterna maiestas.

Dein audis Deum esse patrem nostrum. Sic enim appellari et haberi à nobis uult. Obsecro in quem magis decet omnem fiduciam & spem ponere quàm in Patrem? cui sic sunt curæ res filiorum, ut patribus? Ad hæc nulla est in terris prouidentia, aut charitas parentum carnalium, quæ cum prouidentia & charitate Dei patris cœlestis erga nos aut possit aut debeat conferri. Multa debentur parentibus iuxta carnem, per quos Deo placuit, nos nasci in hunc mundum.

Et esto

Et esto, omni qua licet, sollicitudine, & charitate nos educent, et amplissima nobis patrimonia relinquunt, quid hæc omnia sunt, si consideramus immensa beneficia Dei patris cœlestis, nisi tenuis umbra, aut somnium potius umbræ?

Omnia Deus creauit ut seruiant homini, cœlum pulcherrimis luminibus fecundo influxu, & motu hanc inferiorem machinam regit. Terra nobis omnis generis animantia pascit in usum uitæ, suppeditat ligna, & ex sinu suo fertili promittit nobis metalla, plumbum, stannum, cuprum, argentum, aurum, & lapides preciosos, producit foenum, & frumenta uaria, quibus, uelut medulla sua nos nutrit. Quanta est arborum amœnitas, uarietas & utilitas? Hinc uinum crescit, quod letificat cor hominis Psal. 103.

Mare & flumina præbent pisces miræ uarietatis in alimoniam. Aër uolucres nobis in usum & oblectationem uehit. Ignis quàm utile & necessarium elementum est hominibus? Præterea angelos, spiritus cœlestes nobis ministros mittit. Sed quod testimonium paternæ charitatis suæ erga nos præclarius & euidentius proposuit, missione filij sui in carnem?

Misit enim in hunc mundum unigenitum fili



C A T E C H E S I S,

um suū, ut nobis seruiret, in expiandis peccatis nostris. Hoc beneficium est summum, & inenarrabile. De quo Apostolus Rom. 8. Deus proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non & cū eodem, omnia nobis donet? per hunc filium quē nobis donauit Deus, omnia utcunq; mala & noxia cogūtur nobis adiumento esse in bonum, morbi, crux, calamitates humanæ, & mors, quæ omnia per Christum fiunt medicamenta contra uenena peccati.

**Prouidentia  
Dei.**

Atq; hic te hortor ut semper in promptu habeas aliquot scripturarum testimonia, de paternâ Dei prouidentiâ erga omnes creaturas, potissimum autem erga hominem, hinc enim mouebis ad libentius credendum in Deum patrem.

Matt. 6. Ne sitis solliciti uitæ uestræ, quid esuri sitis, aut bibitori, neq; corpori uestro, quibus indumentis usuri. Nouit pater uester cælestis, q; opus habeatis his omnibus, quin potius querite primum regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

1. Pet. 5. Conijcite omnem curam in Deum, nam illi cura est de uobis.

Psal. 54. Iacta curam tuam in Dominum,  
& IPSE

☉ IPSE te enutriet.

Math. 10. Duo passeret asse ueneunt, ☉ unus ex illis non cadet in terram sine patre uestro, uestri etiā pili capitis oēs numerati sunt.

Act. 17. Deus non longe abest ab unoquoq; nostrum, per ipsum enim uiuimus ☉ mouemur ☉ sumus.

Hic iussit p̄ceptor noster, ut ediscamus psalmum, 103. de prouidentia dei, ne cum Epicuris huius seculi somniemus, Deum non curare res humanas.

Iam cogita, quantum ueræ consolationis sit in uerbo, OMNIPOTENS. Si enim corde crederemus, sicut ore cōfitemur, patrem nostrū esse omnipotentem, quæ calamitas unquam posset deicere animum nostrum? Patres iuxta carnem impense quidem diligunt prolem suam, ☉ prouirili ei prouidēt, sed quoties inuiti deserūt eam in periculis? Nam etsi maxime cupiant, tamen sepe iuuare nequeunt. At PATER NOSTER COELESTIS VULT, ET POTEST ubiq; ☉ semper auxiliari. Sic enim canit psalmus, 114. Deus noster in cælo omnia quæcunq; uoluit fecit.

Ita se nominat Deus Gen. 17. Ego, inquit, De

C A T E C H E S I S,

אֲדָי

Hieronymus.  
Aquila.

us omnipotens, cui latinae appellationi pulchre  
cōsonat Hebraica ueritas, ubi deus sic alloquitur  
Abraamum אֲדָי אֱלֹהֵינוּ Eni el schaddai,  
hoc est, Ego sum deus SUFFICIENS. Patres in  
terra non sunt sufficientes, sed reuera deficientes.  
Solut Deus est pater sufficiens, qui sufficientiā  
habet, uel cui satis est, hoc est, qui omnia ha-  
bet & potest, adhunc enim modum, teste Hiero-  
nymo ad Marcellam, ueritū interpretis Aquilano  
mine, uocem schaddai, id est, ἄκιμον, id est,  
robustum et sufficientē ad omnia perpetranda.

Sicut igitur pater, est suauissimū nomen pro-  
uidentiae & charitatis Dei, quo cognoscimus de-  
um uelle iuuare, ita omnipotens & creator om-  
nium sunt nomina summæ et immense potentiæ,  
ex quibus intelligimus Deū etiam posse iuuare.  
Appositissime itaq; solus Deus uocatur Schada-  
dai, id est, sufficiens. Nā in solo deo patre nostro,  
summa charitas, uel beneuolentia, cum summa  
potentia coniuncta est, er alleyn kan vnd uill  
in allen noten außhelffen.

Creator.

Porrò plena maiestatis appellatio est Crea-  
tor cœli & terræ, sic eum uocat Moyses Gen. 1.  
in principio creauit Deus cœlum & terram.

Et psaltes canit psal. 121. Auxilium meum à  
Domino

Domino qui fecit caelum & terram.

Jeremias cap. 32. Domine Deus, Ecce tu fecisti caelum & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento. Non est tibi difficile omne uerbum, Deus magnus & fortis, Dominus exercituum nomen eius, magnus in consilio & magnificus in opere. Sed & oculi tui aperti sunt super omnes uias filiorum hominum, ut des unicuique iuxta uias suas et iuxta fructum studiorum eius.

Obserua autem quod creare usu scripturae, *Creare.* est per uerbum Dei ex nihilo condere, ita Deus creauit, id est, ex nihilo sine aliqua praecedente aut praexistente materia condidit omnia, & sicut ipse rebus omnibus suas substantias & operationes dedit iuxta suas species, ita perpetuo etiam foecundat, sustentat & conseruat naturas rerum, ac gubernat omnia. Prophanum est imaginari deum duntaxat creasse res, & deinde eas omnes relinquere, sicut faber domus, à domo discedit, nihil sollicitus an uel igne pereat uel tempestate subuertatur. Non discedit à creatura creator, sed perpetuo alit, protegit, conseruat nos & omnia quae nobis indignis largitur.

## C A T E C H E S I S,

Est enim creatio non solū, semel condere res, sed etiam eas perpetuo gubernare & conseruare. Quotannis renouat et fœcundat terrā Deus frugesq; procreat, perpetuo dat & conseruat animantibus uitam & motum, bonos honorat et per adflictiones probat, malos punit.

Debemus igitur summa diligentia considerare infinitam Dei potentiam & opus Creationis magnificentissimū, & Deum agnoscere ex operibus eius. Græci uocant hominem μικρόκο-

Homo minor  
mundus

σμος, id est, minorem mundū, propter stupendum opificiū hominis, in quo Deus pater architectus admirabili arte & sapientia fabrefecit omnia, & ipsum tanquā contemplatorem tantarum rerum in mundo constituit, qui tanti operis rationem ingenio perpenderet, pulchritudinem amaret & magnitudinem admiraretur. Quare intuetor et contemplator hanc maximam cœli, terræ, & maris machinam, cum omnium creaturarum ordine pulcherrimo, uelut ingentem librum Dei digito scriptum & intelliges imperscrutabilem conditoris sapiētiam, ineuitabilem & summam potentiam, ac bonitatem inestimabilem, quæ diuitias suas perpetuo in omnes creaturas uberrime effundit, & se minime obscuris  
indicijs

indicijs toti mundo manifestat. Vere enim Augu Augustinus.  
 stinus. 15. de Tri. cap. 4. dixit, Non diuinorum  
 librorum tantummodo autoritas, esse Deū præ  
 dicat, sed omnis quæ nos circumstat, ad quā nos  
 etiam pertinemus, uniuersa rerum Natura, pro  
 clamat se habere potentissimum conditorem. Si  
 cut & Apostolus Rom. 1. ait, inuisibilia Dei ex  
 creatione mundi, dum per opera intelliguntur,  
 peruidentur, ipsaq; æterna eius potentia & di  
 uinitas. Id est, pot' etia & diuinitas Dei cōspici  
 untur animaduersa in operibus eius à cōditiōne  
 mundi, id est, à tota uniuersitate rerū. Potentia  
 æterna non debet intelligi ociosa potentia, sicut  
 Epicurus prophanus fingit Deum ociosum, sed  
 significat potentiam quæ creat, & perpetuo cō  
 seruat & gubernat creaturas. Diuinitas signifi  
 cat sapientiam, bonitatem, iusticiam diuinam,  
 Deum gubernantem & curantem res humanas,  
 exaudientem, & seruantem bonos & punientē  
 malos.

Opus igitur creationis & gubernationis  
 mundi tam euidenter testatur, diuinam sapienti  
 am, potentiam & bonitatem, ut & ratio hu  
 mana naturaliter intelligat esse Deum, ipsum es  
 se bonum, ueracem, iustumq;: nam hæ noticiæ in

C A T E C H E S I S,

Cicero.

fit e sunt diuinitus mentibus humanis, Sicut & Cicero Ethnicus lib. 1. de natura diuina contra stolidum Epicurũ docet, gratiam maxime propriam esse optimæ præstantissimæq; nature diuine. Quis est tam stupidus & excors, qui nõ cognoscat esse Deum, eum esse bonum, iustum & uindicem malorum, quando cernit certas istas uices, Motuum & Temporum, uires rerum nascentium mirabiles, mentis humanæ præstantiã & uim intelligendi, uigorem memoriæ, quæ innumerabilium rerum, uelut scrinium & thesaurus est, res publicas mundi florentissimas & regna potentissima in tanta hominum malicia durare, quod sine prouidentia & gubernatione Dei esset impossibile, pœnas flagitiosorum, & in impijs etiam discriminẽ honestorum & turpium, & conscientie terrores, quamuis ut apostolus ait, gentes & impij hanc ueritatem, id est, noticiam in iniusticia detineant, cū enim opificem Deum ex opere cognoscant, non tamen ut Deum glorificent, non credunt huic naturali noticiæ de DEO, sed ingratae contemnunt DEVM.

Sed proferam tibi de hac naturali noticiã de deo

Deo, clarum testimonium ex Aristotele, quod  
Cice. lib. 2. de natura diuina citat.

Si essent homines, qui sub terra semper habi- Aristoteles  
tauissent, bonis & illustribus domicilijs, quæ  
essent ornata signis atq; picturis, instructaq;  
rebus his omnibus, quibus abundant ij qui beati  
putantur, nec tamen exissent unquam supra ter-  
ram, acceperunt autem fama, & auditione, esse  
quoddam Numen & uim Deorum. Dein aliquo  
tempore patefactis terræ faucibus, ex his abdi-  
tis sedibus euadere in hæc loca, quæ nos incolu-  
mus atq; exire potuissent, cum repente terram  
& maria, cœlumq; uiderent, nubium magnitu-  
dinē, uentorumq; uim cognouissent, aspexissent  
que solem, eiusque tum magnitudinem pulchri-  
tudinemque. Tum etiam efficiendam cog-  
nouissent, quòd is diem efficeret, toto cœlo  
luce diffusa. Cum autem terras nox opacasset,  
tum totum cœlum cernerent astris distinctum  
& ornatum, lunæque luminum uarietatem,  
tum crescentis, tum senescentis, eorumque ortus  
& occasus, atque in omni æternitate ratos,



## C A T E C H E S I S,

*immutabilesq; cursus, quæ cum uiderent, profecto esse deos, & hæc tanta opera deorum esse arbitrarentur. Hæc Aristoteles. Mox Cicero hæc addidit. Nos autem tenebras cogitemus tātas, quantæ quondam eruptione Aetnæorum ignium, finitimas regiones obscurauisse dicuntur, ut per biduum nemo hominē homo agnosceret. Cum autem tertio die sol illuxisset, tum ut reuixisse sibi uiderentur, quòd si hoc idem ex æternis tenebris contingeret, ut subito lucem aspiceremus, quæ nā species cœli uideretur? Sed assiduitate quotidiana & cōsuetudine oculorum assuescunt animi, neq; admirantur, neq; requirunt rationes earum rerum quas semper uident, per inde quasi nouitas nos magis, quàm magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare.*

*Nonne, frater, palam agnoscunt ethnici quæ Apostolus de Dei noticia ex mundi opificio Roma. 1. scripsit?*

*Erubescant frigidi Christiani, et ignaui, qui in illa clarissima luce Euangeliy tam oscitanter considerant opera Dei, cum Gentiles in illo suo naturalis luminis crepusculo sic stupeant diuinarum manuum plasmata.*

*Magna igitur fide opus est, frater, ut recte hunc*

hunc articulum de rerum omnium creatione & creatore tractemus, de qua apostolus Heb. 11 ait Per fidem intelligimus perfecta fuisse secula uerbo Dei, ut ex ijs quæ non apparebant, ea quæ uidentur fierent. Quanta & quàm efficax & uirtua uirtus sit, hæc creationis fides uera, nemo unquã uerbis exprimet. Propheta Dauid psal. 103. hoc mysterium creationis, spiritu fidei magna uoluptate contemplatus est, nempe omnipotentiam, sapientiam, bonitatem & prouidentiam conditoris in omnibus rebus conditis, & intellexit quàm tutũ quamq; beatum sit, in tanti creatoris ac patris manus se & sua per abnegationẽ sui, commendare.

Sensus autem illius primi articuli est, credo me creaturam esse Dei, omnia ab ipso esse bene condita & conseruari & quicquid habeo bonorum corporalium & spiritualium à Deo, me accepisse nõ ex aliquo merito, sed ex misericordia paterna. Nam credo eum esse patrem meum per IESVM CHRISTVM & talem tantumq; patrem, in cuius manu sunt omnia, & qui omnia secundum beneplacitum suum facit & gubernat, nam est omnipotens. Solus itaq; & uult & potest, me in omnibus malis tueri et ab eis eripere.

## CATECHESIS;

Quare in manu tanti patris & creatoris omnium satis sum tutus, nec quicquam mihi deerit, omnem ergo fiduciam & spem in hoc uno Deo patre repono, hunc quippe summum bonum diligo, timeoq; hunc in omni periculo anime et corporis per CHRISTVM IESVM inuocandum, & omne auxilium & bonum ab eo expectandum, cum in omnibus glorificandum, eius uoluntati in omnibus obtemperandū esse nihil dubito.

Quid multa? Maius est huius articuli mysterium, quā ut ullis uerbis enarrari queat. Exerce te mi frater, huius articuli meditatione, ne ipsum murmures sine intellectu & fide, nam si hūc recte credideris, facile credes & alios. Ora igitur Deum semper pro fidei dono & cum apostolis clama, Domine adauge mihi fidē. Habes primū articulum de Creatione omnium rerū. Nunc & de redemptione humani generis per CHRISTVM, colloquamur.

## FRIDERICHVS

Explana mihi nunc & secundam partē symboli Apostolici.

## F. OTTHO.

Et in Iesum Christum filiū eius unicum Dominum nostrum.

## FRIDERICHVS.

Deus uerus unus est, nō plures dij. Quomodo igitur & in IESVM CHRISTVM credere iubemur?

## F. OTTHO.

Quia IESVS CHRISTVS, est uerus Deus, non alius aut nouus Deus, sed ille idem deus qui est pater & spiritus sanctus, nempe filius naturalis Dei patris, patri consubstantialis. Hoc enim mysterium nobis Deus reuelauit in scripturis sanctis, quod unus est Deus, uel una tantum essentia diuina, sed tres personæ, pater & filius & spiritus sanctus. Hæc trinitas est unus Deus & solus & uerus, ut Augustinus docuit li. 1. de Tri. cap. 2. In personis est trinitas, sed unitas in essentia. Nam ille tres personæ, eandem habent essentiam, ut synodus Nicæna recte eas ex scripturarum sententia uocârit ὁμοουσιους, id est, ὁμοουσιος. consubstantiales ab ὁμός, homos, id est, unus, et ὁυσία, usia, id est, essentia. Cum igitur Iesus Christus sit natura filius dei, necessariū est ut ipsum colamus eodē cultu quo patrē colimus, hoc est, ut in eum credamus et spem oēm collocemus.

## CATECHESIS,

Sicut ipse Ioan. 5. nos docet, pater omne iudicium dedit filio, ut omnes honorent filium sicut honorant patrem. Si idem honor debetur filio qui patri, ergo est uerus deus, nam pater Isa. 42. clare ait: *Gloriam meam alteri non dabo.*

## FRIDERICHVS.

Singula huius secundi articuli nomina & eorum rationes mihi expone, cur uocatur IESVS? cur CHRISTVS? cur unicus filius et Dominus?

## F. OTTHO.

IESVS.

IESVS nomen hebraicum est יְהוֹשֻׁעַ Iesuah, id est, salus aut salutare. Excellens illud Epitheton Iesu Christo debetur, qui solus est nostra salus, aut salutare Dei. Sicut cum Dauid in psalmis nominat, ut psal. 118. Defecit in salutare tuum anima mea Hilarius & Augustinus per salutare intelligunt CHRISTVM IESVM. Et Lucae 2. canit Simeon, uiderunt oculi mei salutare tuum, & canit hoc de puero IESV. Et Isa. 46. Dabo in Zion salutem, ubi de CHRISTO propheta loquitur, qui solus est salus Zionis, id est, Ecclesie.

Verum huius gloriose appellationis ratio ex uerbis angeli Matthaei 1. facillime cognoscitur, dum

tur, dum sic alloquitur Iosephum iustum, *Pariet filium (Maria) & uocabis nomen eius IHE= SVM.* Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. Porro sunt inter hebraice doctos, qui *I E S V S* augustius & excellentius nomen esse contendunt, nempe quadrilaterum illud nomen יהוה *Iehauah*, quod nulli creaturæ mere unquam tributum est, sed soli uni & uero DEO in scripturis sanctis proprium est. Nam si interposueris unam literam. *U.* quæ hebrais sonat *Sch.* efficitur nomen *I H E S V S*, ut dicas יהשוה quod sonat *Iehestuh*, sed primum e-raptissime legitur, ut sonû eius uix queas audire. Ab hac expositiõe fides nostra nõ abhorret, ut quæ sciat Iesum Christum esse uere & natura DEVM, & quòd propheta *CHRISTVM* soliti sint nobis proponere sub augustissimo illo & diuino nomine יהוה *Iehauah*. Nam *Ieremias* 23. cap. promittitur *Iudæ & Israeli*, id est, ueris confessoribus dei & Christianis, uera securitas in diebus Christi, & nomē eius exprimitur, nempe *Iehauah*, id est, Dominus Deus iusticia nostra. Ideo eruditus non est difficile creditu, ab illo sanctissimo nomine Dei, formari nomen illud *Iesus*, præsertim cum *Apostolus Phi*

## CATECHESIS,

lipp. 2. testetur, Christo donatum esse nomen, quod sit supra omne nomen, ut in nomine IESU omne genu flectatur, coelestium, ac terrestrium, & infernorum. Obsecro quod aliud nomen dabo, quod sit supra omne nomen, & cui omne genu iure flectatur, quàm nomen illud יהוה Iehouah, unde nomen Iesus formatur, & quod est uerum, propriumq; nomen unius ueri, & aeterni Dei, qui apud Isaiã cap. 45. dicit, Mihi flectetur omne genu.

## FRIDERICHVS

Hæc libèter audio, habet enim nescio quid latentis energiæ nomen illud dulcissimum Iesus, ut ad ipsum in omni periculo, tâquam ad asilum, confugiamus. Sed cur uocatur Christus?

## F. OTTHO.

Christus.

CHRISTVS est nomen præclarissimum officij, deductum ab unctiōe. Christus enim uocatur unctus, sicut & in Hebraica lingua à prophetis uocatur Messias משיח Vnctus est enim in uerum et sempiternum regem ac sacerdotem Israël uel electorum dei. Olim ritus erat, ungeri reges et sacerdotes, ut moneretur diuini officij, & sine diuino adiutorio recte officio suo fungi non possent. Docet itaq; nos sacræ literæ, utrunq; nome

singulari quodā modo ac supereminenter debe  
 ri Christo Iesu, quippe unigenito & primogeni  
 to, dei patris, & uirginis matris Mariæ, ut ipse  
 fit summus et sacerdos, et rex populi sui, unctus  
 præ consortibus suis, psal. 44. Nam ei Deus de  
 dit spiritū non ad mensurā, Ioan. 3. Sed est omnis  
 gratiæ fons inexhaustus, de cuius plenitudine  
 nos oēs accepimus. Ioan. 1. Non igitur sunt no  
 mina inania, sed plena consolationis. Cum enim  
 rex sit æternus, & rex regū, Dominus dominā  
 tium, Apoc. 19. certe regnum suū, id est, Eccle  
 siam sanctorum gubernat, in omnibus malis tue  
 tur, & saluat. Cum sit summus & æternus sa  
 cerdos secundū ordinē Malcizedek, suo sacrifi  
 cio, quod in cruce obtulit, recōciliat nos Deo pa  
 tri, pro nobis intercedit, & nos ueritatē docet,  
 per quā seruamur. Ideo Hebræi, eximium illud  
 semen Abraæ, & Dauidis, uerū redemptorem,  
 & saluatorē, Regemq; Israëlis, imo totius mun  
 di, in lege & prophetis promissum celebri illo  
 nomine משיח מלך אלהים, id est,  
 per excellentiā nominare solebāt, quod ille uere  
 tandem singulariter, et supereminenter unctus  
 eoq; uerus rex regum, & sacerdos sacerdotum  
 esset. Sic uocat Daniel Dominum nostrum capi  
 te 9. Quando itaq; Christianus recenset hunc



## CATECHESIS,

articulum, cogitet in æterno Christi regno esse, inuictam, & summam potentiam, in sacerdotio uero eius, omnem esse gratiam, & benedictionem. Cur igitur non semper in Domino gaudeamus, iuxta Pauli admonitionem?

### FRIDERICHVS.

Cur Iesum Christum uocas, unicū Dei filiū? Nonne docuisti ex Ioanne, nobis datam esse potestatem, ut & nos efficiamur filij Dei? quomodo igitur uocatur unicus, der ainig, cum etiam Christiani sint filij Dei?

### F. OTTHO

**Unicus cur?** IESVS CHRISTVS recte uocatur unicus filij Dei, quamuis enim Christiani uocentur filij Dei, non tamen hoc ex natura habēt, sed ex sola gratia Dei per CHRISTVM, qui solus est naturalis Dei filius ex substantia patris ante secula natus, ut canit Athanasius. Ad hunc modū deus pater, unum duntaxat filium habet, nempe IESVM CHRISTVM, qui nō est creatura iuxta naturam suam diuinam, sed creator, per quē omnia facta sunt. Ioan. 1. Nos autem alia quadā ratione uocamur filij Dei, nempe per gratiam, quando credimus in Iesum Christum naturalem filium

*filium dei iuxta scripturas, hac fide efficimur filij Dei adoptiui.*

## FRIDERICHVS.

*Quid est adoptiuius filius?*

F. OTTHO.

*Quæ pater non genuit ex sua substantia, qui non est naturaliter filius patris, uel ex semine patris, sed aliunde ex alia familia adscitus & in filium electus, ut & ipse possit patris hæres esse, qui uocatur adoptiuius filius, id est, electus, & in familiam ex gracia uocatus, quæ adoptio, ut docet Iustinianus in institutionibus iuris Ciuilis, fiebat olim duobus modis, aut principis auctoritate et Rescripto, aut imperio magistratus. Ita adoptauit Augustus Tiberium in filium. Sic nos qui mancipia Satanae propter peccatum eramus, per gratiam Dei in Christo, adoptamur in filios Dei, & liberamur à potestate Satanae, quæ in Christum credimus. De illa inenarrabili gratia adoptionis sic loquitur Paulus Eph. 1. Deus pater prædestinauit nos, ut adoptaret in filios per Iesum Christum. Iam si et nos efficimur filij Dei, consequitur & hæres nos esse Dei, coheredes Christi, sicut nos appellat Paulus Rom. 8.*

## C A T E C H E S I S,

Deus pater promiserat Patriarchis, prophetis  
 & electis omnibus aeternam hereditatē & im-  
 marcesibilem conseruatā in coelis, quae iure ad  
 naturalem Dei filiū Iesum Christū pertinebat.  
 Ideo ex mera charitate misit deus naturalē hūc  
 filium suū ut fieret etiam uerus homo ex genere  
 nostro, Deus & homo in una persona, ut sic per  
 filiū naturæ, nos fieremus filij gratiæ adoptiui,  
 & de accipienda hereditate beatæ aeternitatis  
 & immortalitatis, certissimi redderemur, qua  
 de re breue illud Augustini uerbū cap. 10. in 10  
 annem, mādato memoriæ. Nos filios Dei gratiā  
 fecit, Christum autem natura.

Iure itaq; uocatur Christus Iesus, unicus dei  
 filius, præter hūc enim nullus alius est filius dei,  
 eiusdē naturæ cū deo patre. Ideo & Augustinus  
 de symbolo uel regula fidei ad catechumenos ait:  
 Quando audis unicum dei filiū, agnosce Deum,  
 non enim filius dei unicus posset esse non Deus.

Ignatius Ioannis Euangelistæ olim discipulus,  
 in Epistola ad Philippenses & Smyrnenses  
 ex Ioannis Euangelio uocat Christum unigeni-  
 tum Dei filium.

Similiter recitāt hūc articulū Conciliū Ny-  
 cænum & Constantinopolitanū. Credimus in  
 unū Dominū Iesum Christū filiū Dei unigenitū

ex patre natū ante oīa secula, Deū de deo, lumē  
ex lumine, Deū uerū ex Deo uero, natū non fa-  
ctum, consubstantialē patri, per quē oīa facta  
sunt, quæ in cœlo & quæ in terra.

Hoc loco, fideliter recordare eorū quæ in hu-  
ius articuli initio dixi de uera diuinitate Christi  
Iesu, sine cuius fide nemo potest saluus fieri. Au-  
diuisti. n. Christū in prophetis uocari יהוה *Diuinitas* *æ*  
hauah, quod nomē soli uero Deo scriptura tribu-  
it: solus enim uere et per se est, semperq; existit,  
creaturæ autē eisi etiā sint, habēt tamē esse suum  
aut substantiā à deo creatore suo à quo pendent.  
Et cū Christus sit eiusdē naturæ & substantiæ  
cū patre, uere dixit Io. 8. Antequā Abraā eſet.  
EGO SVM, quia sicut pater uere est & per se,  
ita & filius uere est, & per se, ut dicebat Moſes  
Exo. 3. Ego sum qui sum. Valde ergo nobis pro-  
dest, imo necessariū est, ut firma, clara, & indu-  
bitata testimonia scripturarū semper ante oculos  
habeamus, de uera & naturali diuinitate  
Christi Iesu. Io. 1. In principio erat uerbū, &  
Verbū erat apud deū. Et deus erat illud Verbū:  
oīa p̄ ipsum facta sunt. Hic audis uerbū illud esse  
Deū. Verbū hoc loco nō significat uoculā transe-  
untem, sed personā in diuinitate, quam pater ge-  
nuit ex sua substantia. Ideo Apostolus Heb. 1.

## C A T E C H E S I S,

uocat filium Dei, paternæ substantiæ charactērem. Et Christus passim in Euangelio uocat Deum patrem suum.

Ioan. 20. Thomas Christum aperte uocat Deum, Dominus meus & Deus meus.

Rom. 9. Christus Deus benedictus in secula Amen.

Ex psal. 44. probat Paulus diuinitatē Christi. Heb. 1. pater alloquitur filiū, Thronus tuus o Deus in seculum seculi.

1. Ioan. 5. Sumus in uero, in filio eius Iesu Christo: Hic est uerus Deus & uita æterna:

Iam & illud obseruabis, ueram Christi diuinitatem certo adstrui ex operibus eius magnificentissimis. Nam remittere peccata, uiuificare mortuos, resuscitare, peccatum ac mortem abolere, diabolum uincere, iustificare impios, saluare salute sempiterna, ubiq; & in omnibus periculis uelle, & posse eripere, sunt opera solius omnipotentis diuinæ. Christo autē omnia hæc opera in sacris literis tribuuntur, omnia hæc ipse præstat propria uirtute.

Ergo Christus est uerus Deus. Hoc argumento inuictō utūtur orthodoxi Ecclesiæ doctores, Chrysostomus, Basilus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus,

Augustinus, Cyrillus &c. quādo docent Christum esse naturā Deum.

Qui igitur Christi diuinitatem instinctu Satanae negare audent, omnia hæc solatia & auxilia nobis, quantū in ipsis est, auferunt, & nobis purum hominē pro saluatore relinquunt, qui etiam si uellet, non tamen posset nos liberare ab hostibus nostris.

Nam humanitas Christi quamuis innocentissima & integerrima sit, non tamen posset nos eripere ex malis æternis, peccato, & morte, si sola esset, id est, si non esset iuncta personaliter uerbo diuino uel filio Dei. Nam uerbum Dei æternum, id est, filius Dei naturalis, est uita ipsa essentialiter, uiuificans & uitam donatam conseruans, & extra illud uerbum uel filium Dei, nulla est uita, hac sua naturali & infinita uirtute uiuificat & nos. Ioan. 11. Ego sum resurrectio, & uita &c. Et in uera hac uita nos conseruat.

## FRIDERICHVS.

Quare autem dicimus, Dominum nostrum?

## F. OTTHO

Duplici iure Christus est Dominus noster, & nos sumus eius possessio. Primo iure crea

## C A T E C H E S I S,

tionis, nam per eum sumus creati, ipse enim est Deus, creator & conseruator omniũ. Sicut Dauid canit psal. 24. Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarũ, et oēs qui habitant in eo.

Obserua etiã quòd Christus ab Apostolo uocatur Dominus noster, quia ipse est æternus ille Deus noster creator, & gubernator prouidens omnibus rebus, omnibus præsentissimã opem ferens, per quẽ omnia sunt, & consistunt, quem scriptura sancta nobis sub sacrosancto illo nomine quadrilatero יהוה Iehauah proponit, quo uerus Deus significatur. Hebræi hoc nomen putant esse ineffabile, & enunciant ipsum per hoc nomen adonai, quod significat Dominũ, id quod & lxx. interpretes obseruãrunt, qui ubiq; pro Iehauah ponunt græcum illud κύριος kyrios id est, Dominus.

Dein & iure recreationis uel redemptionis, cum enim nascamur in peccatis, fuimus peccati & mortis tyrannide oppressi, & captiui Sathane. Christus autem semetipsum dedit precium redemptionis pro nobis omnibus 1. Timoth. 2. & nos à peccatis, morte, legis maledictione, & potestate tenebrarũ, precioso suo sanguine redemit, ut iam non simus nostri iuris, sed peculiaris populus Christi sectator bonorũ operũ Tit. 2.

1. Cor. 6. Non est ulla maior consolatio Christi  
fidelium, quã, cogitare se, è manu mortis, & Dia  
boli liberatos, iã esse in regno Christi, quod est  
regnum iusticiæ, uitæ, securitatis, gratiæ, liberta  
tis, & gloriæ sempiternæ.

Sic angeli Luc. 2. Euãgelizantes pastoribus,  
infantulũ in præsepi iacentẽ uocant Dominũ, et  
seruatorẽ, cuius præsentia uniuersus terrarũ or  
bis replendus sit læticia. Et psal. 110: Dauid uo **Dominus.**  
cat Christũ Dominũ suũ in spiritu, dicens, Dix  
it Dominus (Deus pater) Domino meo (Christo  
Iesu) sede à dextris meis, donec ponã inimicos  
tuos scabellum pedũ tuorũ. nam pater in manus  
eius tradidit oĩa. Matth. 11. 10. 13. Et Act. 10. Pe  
trus ait, hic est oĩm Dominus. Heb. 1. Christus  
est hæres oĩm. Ro. 14. Christus mortuus est et re  
surrexit, ut uiuentibus, & mortuis dominetur.  
1. Cor. 2. uocatur Dominus gloriæ. Ps. 21. domini  
est regnum, & ipse dominabitur gentiũ. Ps. 8. Glo  
ria, et honore coronasti eũ, & cõstituisti eũ sup  
opera manuũ tuarũ, omnia subiecisti sub pedes  
eius. Breuiter Christus est creator oĩm rerum,  
eius ergo est qcquid conditũ est, ut Domini crea  
toris. Cũ. n. Deus & homo in Christo sint una  
persona, certe etiã filio hominis, qui idẽ est filius  
Dei, omnia sunt subiecta, ut Domino summo.



## C A T E C H E S I S,

In omnibus itaq; periculis corporis & anime, respiciamus ad hūc articulum, Christus est Dominus noster, ad dexteram Dei collocatus, cui omnia subdūtur, angeli, dæmones, homines, & cuncta creata.

Nos igitur qui sumus hæreditas, & possessio tanti Domini, secure habitamus, ipse enim non patietur hæreditatem suam ab hostibus nostris perdi, cum sit murus igneus in circuitu nostro, Zacha. 2.

## FRIDE.

Qui sunt LXX. interpretes, quorum patuloante meministi.

## F. OTTHO.

Hebræi scripturam sanctam, & canonicam spiritus sancti instinctu proditam, quam nemo dubitat esse uerbum Dei omnipotentis, uocant עשרים וארבע Esrim uearba, id est, uiginti quatuor, ut sunt lex Mosi in quinque libris, prophetae priores, & posteriores, & hagiographa. Hos XXIII. libros Græci una uoce uocant βιβλία Biblia, qui libri primo in hebræa tantum lingua scripti fuerunt, & apud Iudeos latuerunt.

Cum autē

Cum autem Rex Aegypti Ptolomæus Philadelphus bibliothecam optimis quibusq; libris instrueret, factum est diuina dispositiōe, ut etiam cuperet ornare bibliothecam suam libris sacris Hebræorum, ideo impetrauit apud summum sacerdotē Ierosolymis Eleazarum, ut uiros sacrorum peritos septuaginta transmitteret Alexandriā translaturus scripturā sanctam ex hebræo in græcam linguam. Istos intellige quoties audis nominari lxx. interpretes, ut hæc testantur Iosephus libro antiquitatum Iudaicarum 12. cap. 20. Ireneus contra Valentinum lib. 3. cap. 25. Et Eusebius lib. Ecclesiasticæ historiæ. 5. cap. 8. qui et in lib. de Euangelica præparatione scribit diuino hoc consilio esse factum, ut uerbum dei quod hæctenus tantum hebræi habuerant, in græcam linguam, quam tum ferè omnes gentes intelligebant, uerteretur. Nam dies salutis, quo gentes erant cōuertendæ ad Christū, appropinquabat. Ideo hac uersione uia præparabatur uocatiōi gentium ad gratiam Euangelicam. Nam Iesus Christus sic est promissus ab Isaiâ cap. 49. ut sit etiā lux & salus gentium in uniuerso mundo.

FRIDE.

## CATECHESIS,

Perge, & reliquas Symboli partes, ea quæ  
cepisti diligentia elucidato,

F. OTTHO.

Sequitur in symbolo articulus de conceptio  
ne & Natiuitate temporali filij Dei. Qui  
conceptus est de spiritu sancto,  
natus ex Maria uirgine.

Hic primum obserua incarnationem filij dei  
unigeniti firmissime à nobis esse credendā, sine  
qua nemo potest saluus fieri. Nam Euangelium  
est in prophetis cuius nō minimus articulus est,  
incarnatio dei. Prædixerunt itaq; sancti Dei ho  
mines prophætæ, Deum ipsum esse in carnem  
uenturum, id est, fore ut qui est uerus Deus ab  
eterno, dei filius, etiam uerus homo in tempore  
fiat præfinito à patre, ex semine Abraæ & Da  
uidis. Recta enim fides in Deū patrē est, ait Cy  
rillus in cap. 14. Ioannis, & in filium non simpli  
citer, sed incarnatum & in spiritum sanctum.

Iam autem in hoc articulo symboli, docent  
nos Apostoli qui sit modus Dei incarnandi, qua  
lis eius conceptio & natiuitas, nimirum mirabi  
lis & singularis.

FRIDERICHVS.

Dic mihi ante omnia causam, quare filiū dei

oportuerit hominem fieri.

## F. OTTHO.

Perlibenter dicam, uerū boni consules prolixitatem, alius enim mihi hoc mysteriū est re-  
petendum, ut & extremā humani generis mise-  
riā, et summa dei patris beneficia, quæ per Chri-  
stum nobis confert, clarius intelligas.

Deus pater filium suū unicum misit in hunc  
mundū, ut naturam humanam adsumeret in uni-  
tatē personæ suæ, ut naturam lapsam et peccato  
corruptam, repararet, restitueret & saluaret,

Iam audi quomodo lapsa sit & rectitudinem  
atq; integritatem suam primæuam amiserit. De-  
us primo hominem per æternum VERBUM, id  
est filium suū quā optime ad imaginē & simili-  
tudinem suam creauerat. Eratq; humana natu-  
ra exornata originali iusticia et præclarissimis

dotibus, munda, innocens, sine peccato, & Deo

chara. Hanc conditionem fœlicem, inuidebat Sa-  
tan inuidus, mendax & homicida recens condi-

to homini, & irrepsit in paradysum in Serpēte,

qui cunctis animantibus erat callidior, & uersu-  
tia sua adortus est mulierem Euam, quā men-

dacio blasphemus decepit, ut de fructu arboris à  
deo uetitæ ederet, quæ & eundē marito Adamo

edendū dedit, sic ambo mandatū dei transgressi,

Ioan. 8.

Inuidia Satanae mors in-  
trauit in mun-  
dum. Sap. 2.

Gen. 3.

## C A T E C H E S I S,

inobedientes Deo, & æternæ mortis rei facti sunt, quo peccato bene cõdita hois natura horribiliter infecta & plane deprauata est, summissq; malis, peccati, mortis, ac Satanæ tyrannidi & potestati penitus subiecta. Et hoc presentaneu peccati uenenum per carnalem generationem demanauit in totam Adami posteritatem, & illius peccati comites sunt, horribiles poenæ peccati, mors temporalis & æterna, morbi & omnes calamitates, deniq; Diaboli in genus humanum furiosissima tyrannis.

2. Timoth. 2.

Omnes itaq; homines naturaliter per uirum & foeminam ab Adam propagati, nascuntur peccatores, peccato originali miserabiliter contaminati, unde omnia peccata quæ actualia uocantur suppullulant: quid igitur aliud erat homo ob peccatum, quàm deploratum mancipium Diaboli?

Rom. 5,

Ex hac Satanica captiuitate homo captiuus nõ potuit se eruere. Satan enim potenter regnabat in natura capta & occæcata, atq; ut fortis armatus custodiebat atriu suum, id est, mundu, uigilanter, & erant quæ possidebat, in pace, quæ omni bello periculosior est. Vide iam perditissimam cõditionẽ lapsæ naturæ. Iacebat homo sub peccato, mortis imperio, & Satanæ potestate captiuus.

Luce. 11.

te captiuus ad æternam damnationem, qua misere Rom. 8.  
ria nulla maior cogitari potest, erat enim iam ho-  
mo peccator impius, & inimicus Dei, amicus  
Diaboli.

At Deus pater misertus est lapsi & captiui  
hominis, et huic exiciali morbo prouidit et præ-  
ordinauit remedium, promisitq; Adamo, Eue  
& posteris eorum gratiam, auxilium & ueram  
liberationem in semine mulieris. Et hæc promif-  
sio est primum Euangelium Dei, de uincendis a-  
bolēdisq; hostibus generis humani atrocissimis,  
peccato, morte, Diabolo, Gene. 3. Inimicitias  
ponam inter te & mulierem & inter semen tuū  
& inter semen illius, ipsam conteret caput tuū,  
& tu insidiaberis calcaneo eius.

Satan per mulierem Euam adhuc uirginem  
coniecit genus humanum in omnia mala corpo-  
ris & animæ, temporalia & æterna, mulier cre-  
didit mendacio angeli apostatæ, hac uia Diabo-  
lus in mundum inuexit peccatum et mortem, &  
factus est mundi princeps & Dominus, Deus  
autem uoluit hæc opera Diaboli rursus destrue-  
re, & præordinauit aliam uirginem, non curio-  
sam, sed obediētem, & credentem bono angelo,  
Dei uerbum annuncianti, ut illa pareret filium

## C A T E C H E S I S,

innocentem, qui cōtereret caput Diaboli, id est, regnum Satanae uastaret, aboleret peccatum, et mortem uinceret, & triumpharet Diabolū per semetipsum. Sicut Ioannes ait: Ad hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera Diaboli. 1. 10 3. Ecce ipsemet filius Dei, etiam filius hominis, & uerus homo factus est, sine tamen uitio naturæ, ut diuina sua uirtute naturam lapsam repararet, & à peccati ueneno emundaret innocenti sanguine suo. Semen enim mulieris, nō uiri prædicitur, oportebat enim illius seminis uel filij matrem, esse uirginem immaculatam ante partum, in partu, post partum, ut nasceretur uerus homo sine peccato, ut ipse peccatum expiare posset, et immaculata uictima uel propitiatio fieret pro peccatis totius mundi.

Hoc semen est Iesus Christus, filius Mariæ uirginis ex semine Dauid, sicut eum propheta polliciti erāt. Ex eo itaq; tempore, sicut inimicitia capitales incœperunt inter Diabolum & Christum ac Christi fideles, ita generi humano mox Christus dux, custos, gubernator, & saluator constitutus est.

Sed uide inuictam potentiam Christi, et regni eius. Noster gigas Christus, iusticia & potentia inuadit

zia inuadit regnum Satane, Satanam uincit, & nos liberat. Quamuis enim Satan calcaneum nostrum omni qua potest fraude & uiolentia inuadat, ut sancti uarijs tribulationibus exerceantur in hoc mundo, & corporali morti subijciantur, sicut & Christus caput sanctorum afflictus est, regnum tamen Christi, uincit regnum Diaboli, & sancti saluantur in Domino Christo salute eterna. Esa. 45.

Huic consolantissimo Euangelio crediderunt Euangelium parentes primi, hoc est, se per hoc futurum semen doctrina antimen, liberatum iri à peccato & morte eterna, quissima, & propter hoc semen, sibi peccata remitti, & se Deum rursus propitium habere non dubitabant, qua fide & iustificabantur, non ex operibus aut meritis proprijs.

Dein Abel & omnes electi hanc promissionem de semine mulieris, cōtrituro caput serpentis fide apprehenderunt, & similiter iustificati sunt usq; ad Abraamum, per secula multa, ab orbis condito 3260. iuxta supputationem Eusebij.

Ibi Dominus constituit Abraamum, patriarcham populi Iudeorum, ex quo Christus secundum carnem erat nasciturus, et rursus promittit



## C A T E C H E S I S,

Christum redemptorem, & saluatorem mundi.  
 In semine, inquit, tuo benedicetur omnes gentes  
 terræ. Gen. 22. Hoc semen est Iesus Christus, ut  
 Spiritus. per os Pauli nos certificat Gal. 3.

**V**nitatem Christi. Si enim debebat esse **V**nitatem,  
 id est, semen Abrahamæ, ergo oportebat ipsum esse  
 eiusdem naturæ cū Abraham, cuius semen dicitur,  
 hoc est, uerum hominem ex anima & corpore,  
 nec tamen conceptum in peccato, sed incontaminatum  
 & ab omni peccato liberrimum, sanctum, et sua  
 sanctitate nos sanctificantem. Sicut scriptura aliàs  
 Christum uocat, fructum lumborum Dauidis,  
 fructum benedictum uirginis uentris Mariæ. 2. Reg. 2. Luc. 1. Sicut & Euangelistæ  
 Matthæus & Lucas genus Domini usque ad  
 Abraham & Adam recensent. Et quoties in Euangelio  
 Christus se appellat filium hominis? nec  
 tacet suam innocentiam, & puritatem. Ioan. 8.  
 ait: quis ex uobis arguit me de peccato? Et Petrus  
 1. Pet. 2. Ioannes, 1. Ioan. 3. peccatum, autem,  
 in eo non est, peccatum non fecit, iustus est ex  
 Beata cap. 53. sicut decebat eum, qui peccatum &  
 omnia mala per peccatum in mundum inuectum, e  
 medio tollere, et omnino delere, & naturam hu  
 manam

manam uiciatam pristinae integritati restituere  
 debebat. Habes etiam maledictionem generalē  
 totius generis humani, quod miserabiliter op-  
 pressum erat peccato, morte, & crudelissima y-  
 rannide Diaboli, in qua maledictione tota poste-  
 ritas Adami perisset in aeternū, si semen Abra-  
 hae benedictum, mundo non esset promissum &  
 exhibitum, quo uno utpote mediatore & propi-  
 tiatore, iustissima ira Dei in nos placata est, &  
 per quod unum ab ijs malis aeternis liberamur,  
 Benedicimur enim rursus in Christo & per  
 Christum, id est, iustificamur, donamur spiritu  
 sancto, uita & salute sempiterna.

Obseruabis & hoc, quod hoc uaticinium,  
 si rectē intelligitur, cōuincit hoc semē Abrae,  
 etiā Deū esse. Benedicere enim nō est opus crea-  
 turæ, sed creatoris, est enim à peccatis, morte et  
 imperio Satanae redimere, quæ opera nemo po-  
 tuit perficere præter Deū uerū. Ideo et prophe-  
 tæ spiritu sancto magistro intellexerunt Deū ue-  
 rum in carnem uenturum in persona filij unigeni-  
 ti. Sicut Esaias cap. 35. Deus ipse ueniet & sal-  
 uabit nos. Angeli autem Luc. 2. Iesum Nazare-  
 num appellāt saluatorem mundi. Deus similiter  
 Hoseæ 13. palām ait: saluator non est præter me.

## C A T E C H E S I S,

Si ergo solus Deus saluat nos, & Christus Iesus in hoc à patre missus est, ut nos benedicat, id est, ab æterna maledictione redimat & saluet in æternū, Ergo Christus Iesus est uerus deus, hæc ratio est inuicta. Et ne quis cauilletur Christum non sua sed aliena uirtute saluare, habes clarissimum testimonium, Coloss 2. Diabolum uictum esse & triumphatum propria Christi uirtute. Dicit enim Apostolus, quòd Christus expoliata potestatem tenebrarum ostentauerit palmam & triumphauerit illam per SEMETIPSVM. Et Deus in paradiso dixit Adamo, ipse, nimirū mulieris filius, cõteret caput serpentis. Talibus testimonijs plenæ sunt scripturæ sanctæ.

Ex ijs colligimus conceptionem & natiuitatem generosissimi illius pueri Iesu, esse ipsissimam puritatem & innocentiam, Sicut testantur uerba Symboli, conceptus est de spiritu sancto, ut Angelus Domini Iosephū docet, Quod in illa (Maria) conceptū est, à spiritu sancto profectum est. Matth. 1. Et Luc. 1. sic uirginē Angelus Gabriel alloquitur, Ecce concipies in utero & paries filiū et uocabis nomen eius Iesum, is erit magnus & filius altissimi uocabitur. Et dabit illi Dominus deus sedem David patris ipsius, regnabitq; super

super Domum Iacob in æternum, & regni eius  
 nõ erit finis. Spiritus sanctus superueniet in te,  
 & uirtus altissimi obũbrabit tibi. Quapropter  
 & quod nascetur sanctum, uocabitur filius Dei.  
 Quod mysteriũ propheta Esaias reuelauit, ca.  
 7. his uerbis, Ecce uirgo erit prægnans & pa-  
 riet filium & uocabis nomen eius Immanuel, id  
 est, nobiscum Deus. Hoc loco Maria uocatur in  
 lingua sancta **חַלְמָה** haalmah, quæ uox  
 significat adolescẽtulam puellam quæ incorrup-  
 ta est, hoc est, uirginẽ, sicut Gen. 24. Rebecca  
 uocatur Alma priusquã despõsaretur Iacob, nos  
 securos reddit Matthæus cuius autoritas sacro  
 sancta et irrefragabilis est, apud quẽ uerba Esa-  
 iæ sic uertuntur: Ecce uirgo imprægnata &c.  
 Et apud lxx. interpretes græca uox clara est,  
 ἡ παρθένος, hoc est, uirgo. Ad hæc scribit Hie-  
 ronymus in 7. cap. Esaiæ, quod Alma non solũ  
 puella uel uirgo, sed cũ ἡ δὲ τὰ ὄσθια uirgo abscon-  
 dita dicatur, & secreta, quæ nunquam uirorum  
 patuerit aspectibus, sed magna parentum dili-  
 gentia custodita sit.

Hanc uirginem Immaculatam ab Esaiæ præ-  
 dictam, Matthæus & Lucas, nobis uelut digito  
 commonstrant, quæ est filia Abrahæ & Regis

## C A T E C H E S I S,

Dauid, mater uera Immanuelis Iesu Christi. Matthæus scripsit genealogiã Iosephi spõsi Mariæ, Lucas autem genealogiam uirginis Mariæ, ut certissimi redderemur IESVM NAZARENVM esse de stirpe aut semine Dauid. Nã siue Mariam ex parentibus æstimes, siue ex marito Iosepho, semper tamẽ eam cũ filio suo Iesu Christo, in domo & familia Dauid inuenis.

Matthæus Genealogiam Christi deducit à Dauide Rege per Salomonem, et Abiud usq; ad Ioseph filium Iacob coniugem Mariæ

Lucas eandẽ deducit à Dauide per fratrem germanum Salomonis, Nathan, et Resa, usq; ad Mariam uirginem matrem Iesu Christi, qui est uerus Dauidis filius secundum carnem, Messias ille celebratissimus, in lege & prophetis promissus, & in tempore à prophetis prædicto in carnem missus, qui & maiestatem suam stupendis hisce miraculis euidentissimè demonstrauit, quæ prophætæ uero Missiæ tribuunt, & ueræ salutis cornu, id est, Regnum æternum erexit in domo Dauid, sicut pater Ioãnis Zacharias spiritu sancti instinctu de eo cecinerat Luc. 1. Sicut antea Dominus per os prophætæ Nathan promiserat Dauidi 2. Regũ 7. dicens: cũ completi fuerint dies tui

dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscita  
 bo semen tuum post te, quod egredietur de utero  
 tuo & firmabo regnū eius, ipse ædificabit domū  
 nomini meo, & stabiliam Thronum regni eius  
 usq; in sempiternum, Ego ero ei in patrem, &  
 ipse erit mihi in filiū. Hoc eximium uaticinium  
 tota Ecclesia de Christo Iesu NAZARENO  
 intelligit, qui est generosissimum illud Dauidis  
 semē, id est, filius ex carne et sanguine regio Da  
 uidis, cuius regnum nō est ruinosum, ut sunt alia  
 mundi regna, quæ primum celeriter florent,  
 sed breui durant & mole ruunt sua. Regnum au  
 tē seminis Dauidici, testibus prophetis, persta  
 bit firmum et inconcussum in sempiternum, quia  
 non est mundanum, ut cum mūdo pereat, sed spi  
 rituale & cœleste, habens regem qui semel pro  
 nobis redimendis mortuus est, sed excitatus à  
 mortuis, non amplius moritur, mors illi non am  
 plius dominabitur, Rom. 6. Est enim pater æter  
 nitatis, cuius regni non erit finis super throno  
 Dauid, Lu. 1. Ille ædificat domū nō manufactā  
 sed spiritualem, quæ est Ecclesia Dei uiuentis,  
 atq; hūc ædificatorem pater ad dexteram suam  
 collocauit, & sic firmavit regnum eius ut labefa  
 ctari nunquā queat, sed ipsum omnia regna mun

CATECHESIS,

di uastabit, Dan 2. & sicut Esaias uaticinatur cap. 60. Gens & regnū quod non seruerit Regno Christi, id est, Ecclesie, peribit, & gentes similitudine uastabuntur, & pater huius seminis regij inimicos ponet scabellum pedū eius, psal. 109

Hoc regnum iam floret, sed est absconditum cruce & oculis fidei cernitur. Potentia autem & gloria eius in fine mundi cernentur, quando diabolo & omnibus impijs Christi hostibus pēlam damnatis, sancti cum Christo regnabunt in æterna gloria.

Idem illud semen Dauidis sancte nobis promittit Dominus psalmo. 132. Iurauit Dominus Dauid ueritatem & non frustrabitur eum, De fructu uentris tui ponam super sedem tuam.

Esaias cap 9. uaticinatur de hoc sancto puero. Puer natus est nobis, super solium Dauid, & regnum eius sedebit, ut disponat illud in iudicio & iusticia, ammodo & usq; in æternum

Esaiæ 11. egredietur uirgo de stirpe Ischaj, et surculus de radicibus eius fructificabit. Hæc propheta semper intellecta est in Ecclesia catholica de Christo et Maria. Augustinus in symbolo ad catechumenos scribit, Mariam significari per uirgam, & per surculum, uel florem, filium uirginis

lium virginis Iesum Christum, qui progermina  
ut ut flos illibatus de stirpe Ischai, qui erat pa-  
ter Dauidis.

Ieremie. 23 ait Dominus, suscitabo Dauidi  
germen iustum, id est, filiū innocentē, qui nullo  
peccato contaminatus est, sed planè integer et  
purus, qui et alios iustificabit, ubi Hebraico mo-  
re intelligit per germē filium naturalē. Vt enim  
ramusculi, de arborum stirpe, ita ex parētibus  
progerminant nati. Chaldaica uersio habet pro-  
pheciam hanc aperte sine Metaphora: suscitabo  
Dauidi Meschiam iustū. De hoc semine Dauidis  
sancto & sanctificante iā concionatur Paulus  
Act. 13. Inueni Dauid filium Iesse, uirum secun-  
dum cor meū, huius è semine, ita ut promiserat,  
adduxit Deus Israëlī seruatore Iesum.

Sed audi quā dilucide Euangelistæ Lucas  
& Matihæus Christi Iesu Natiuitatem sanctam  
descripserint, nihil intermittentes eorum quæ  
ad huius Mysteriorū docendam ueritatem perti-  
nent. Circumstantiæ hoc loco obseruandæ sunt,  
TEMPVS penes quē populū in mūdo tū fuerit Circumstan-  
suprema potestas in terris, NOMEN imperato tiæ causæ.  
ris. NOMEN præsidis ab imperatore consti-  
tuti in terra natali nostri regis. Præcipuū nego-



## C A T E C H E S I S,

ciū quod tum in ea terra per imperatorem age-  
batur. GENVS aut profapia Christi. FAMI-  
LIA eius. MATRIS nomē, pater putatiuus.  
PATRIA, LOCVS HOSPICIJ, NATIVITA-  
TIS testes & PRAECONES ac SPECTATO-  
RES, tum & NATIVITATIS fructus,

Tempus secundum Eusebij computationem  
ab orbe condito. 5199. cum Herodes Antipatris  
filius. 30. annos in Iudæa favore sanatus Roma-  
ni regnasset, destructo Græcorū imperio, et Ro-  
manis iam in orbe dominantibus, cum transacti  
essent anni ab Abraā, cui Christus promissus fu-  
it. 2025. octavo Calēdas Ianuarias natus est sal-  
uator mūdi Christus Iesus, ita fore prædixerat  
Daniel cap. 2. nempe q̄ in ultima orbis Monar-  
chia, quæ est Romanū imperiū, nasciturus esset  
Christus, quē præfigurat in lapide, qui sine ma-  
nibus de monte præcisus est, quia Christus sine  
uirili adiutorio sola operatione Spiritus sancti,  
& adumbratione uirtutis altissimi ex uirgine  
immaculata natus est. Et Matthæus data opera-  
mētione fecit Herodis regis, ut certo sciremus,  
tum impletam esse prophetiam patriarchæ Iac-  
cob, Gen. 49. Nō recedet Sceptrum (id est pote-  
stas regia) de Iudah, & legislator de medio pedu-  
m eius

dum eius, donec ueniat Siloh uel Messias, & ad eum colligentur populi, id est, Christus ueniet & nascetur, quando Iudæi non habebunt proprium regem de tribu Iudah, sed alienigenam, ut erat Herodes ille Edomita.

Monarchia ut iam dixi erat tum penes Romanos, quæ primum in terris fuit apud Babylonios et Assyrios, à quibus trās lata est in Persas & Medos, à Persis & Medis in Alexandrum Magnum Macedonē. Vltimo data est Romanis, quorum imperiū uel regnū steterat annos plus minus. 70. quando post primum Cæsarem Caiū Iulium, regnabat Octauianus Augustus, cuius Imperij anno. 42. natus est Christus Iesus.

Et tum præses Cæsaris erat Cyrenius in Syria, cuius dispensationi tum Iudæa erat adunata.

Cumq; Iudæi tempore nati Christi fuissent Romanis subiecti per Pompeium Magnum, censebatur primum orbis totus sub Cyrenio. Ideo Lucas ait hanc descriptionē primā fuisse, quæ erat actio census, & æstimatio facultatū, quā uocamus exactionem, in qua singulorum nomina conscribuntur & iuxta facultates suas ad danda tributa Magistratui censentur.

Genus & profapia pueri describitur, Nam

II.

III.

IIII.

V.

C A T E C H E S I S,

Christum oportebat nasci e tribu Iudah, ex do-  
mo & familia Davidis, ut antea probauimus.

VI.

Mater nominatur Maria, quam hebraei sua  
lingua uocant Miriam.

VII.

Patria pueri erat Bethlehē, ciuitatula in tri-  
bu Iudah, sicut de hoc rege prædixerat Miche-  
as. cap 5. Et tu Bethlehē Ephratah, paruū est ut  
sis inter millenarios Iudah. Ex te enim mihi e-  
gredietur, qui sis dominator in Israel, & egressus  
eius ab initio æternitatis.

VIII.

Hospicium certe tanto rege, plusquam indig-  
num, nempe stabulum in diuersorio publico, ubi  
Rex regū terræ Dominus & Deus noster bene-  
dictus reclinatus est in præsepi.

IX.

Angelorum exercitus præcones erant huius  
salutiferæ natiuitatis, annunciantes eam pasto-  
ribus, nocte excubiāibus excubias super gregem  
suum. Ne timeatis dixit Angelus, ecce enim an-  
nuncio uobis gaudiū magnum, quod futurum est  
toti populo, quia natus est nobis hodie saluator,  
qui est Christus Dominus in ciuitate David, &  
hoc uobis signum, inuenietis infantem fasciis in-  
uolutum positum in præsepi Lucæ. 2. Pastores  
autem mox uenerūt ad Bethlehē et inuenerunt  
Mariam & infantem, & ut uideremus hunc in-  
fantem,

fantem, non esse regem solum, & Dominum Iudeorum, sed & gentium, scribit Matth. cap. 2. Magos, id est, sapientes & doctores Persarum uenisse salutatum hunc regem, quem & honorarunt auro, thure & mirra.

Magi, qui, Cicero de diuinatione.

X.

Natiuitatis fructus est ineffabilis. Natus est enim angelis testibus, nobis, ut sit noster saluator. Natus est uerus homo ut possit mori, & moriendo ac resurgendo nos liberare à peccatis, morte Satana, & gehenna, factus est enim nostra uictima, quæ satisfecit pro peccatis nostris, qua deo sumus recõciliati & ab omnibus malis liberati.

## FRIDERICHVS.

Tracta nunc eadem diligentia, sequentem articulum. Passus sub Poncio Pilato crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferos

## F. OTTHO.

Si Christum Dominum nostrum diligis, maxima diligentia perdisces hunc articulum de sanctissima & salutifera passione & morte redemptoris nostri Iesu Christi. Primum igitur discere hanc passionem & mortem à deo esse præordinatam,

## C A T E C H E S I S,

Propter redemptionē generis humani, Christus optima & promptissima & patris et sua uoluntate mortuus est. Quis enim filium Dei inuitum potuisset interficere? præsciuit & uoluit hanc mortem, prædixit enim discipulis Luc. 9. passurum. Ecce (inquit) ascendimus Ierosolymā, et consummabuntur omnia, quæ per prophetas scripta sunt, de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, et contumelijs adficietur et conspuetur, & postquam flagellauerint, eum occident, ac tertia die resurget. Et Apostolus, Philipp. 2. ait, Christus humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Et Eph. 5. ait: Christus tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & uictimā. Non dicit: raptus est nolens & inuitus ad mortem.

Propheta omnes prædixerunt consonis oculis, Christum passurum & moriturū pro peccatis nostris, decreto Dei patris.

Moses primus adumbrauit Mortem Christi uarijs sacrificijs & uictimis animalium, per totum Leuiticum. Sacerdotes enim in lege offerebant uictimas, sanguinem uictimarum effundebant, quæ omnia in figura fiebant. Significabant enim fore, ut aliqua uictima immaculata offerretur pro

tur pro peccatis hominum, qua uere expiaretur  
 peccata, & sanguis innocens effundendus esset, quo  
 uere mundaremur ab omni peccatorum conquina  
 mentis. Hæc uictima est Christus & sanguis ei-  
 us. Ipse etiam sacerdos est, uere nos reconcilians  
 deo. Ideo Ioannes baptista uelut exponens totum  
 Leuiticum de uictimis, ait demonstrando Chri-  
 stum Iesum, Ecce agnus ille Dei qui tollit pecca-  
 tum mundi. Nam mors animalium neminem potuit  
 Deo reconciliare & sanguis taurorum &  
 hircorum non potuit auferre peccatum, sola au-  
 tem Christi mors potuit iram Dei placare, pro  
 peccatis satisfacere. Solus Christi sanguis puri-  
 ficare peccatores potest, ut docet Apostolus ad  
 Hebræos copiosissime. Ideo Apostolus Petrus  
 2. Petri. uocat Christum agnum illum immacu-  
 latum & incontaminatum, præordinatum ante  
 quam conditus esset mundus, extremis autem  
 temporibus manifestatum, ut precioso ipsius  
 sanguine redimeremur ab æterna captiuitate.

Et Num. 21. incarnationis & passionis  
 dominicæ mysterium Moses aëno serpente exal-  
 tato præfigurauit. Infecti ueneno serpentum in-  
 tuebatur serpentem ex ære factum & liberabatur  
 a ueneno & morte corporali. Infecti ueneno

## C A T E C H E S I S,

peccati, oculos fidei in filium hominis in cruce  
pendentem defigunt, in eum credentes, qua fide  
fit, ut nō pereant ueneno peccati, sed sanati uita  
insuper aeternam accipiant.

**Esaias**

Esaias. cap. 53. nihil aliud agit quā de mor-  
te & resurrectione Christi & de causa ac fru-  
ctu mortis, Ipse, inquit, uulneratus est, propter  
iniquitates nostras, et contritus propter scelera  
nostra. Dominus coniecit in eum iniquitates om-  
nium nostrū, et prädicit eo cap. animam Chri-  
sti dandam esse uictimam pro peccato, id est, ip-  
sum esse moriturum pro populi delictis.

**Daniel**

Daniel. cap. 9. non solum prænunciat mortē  
Christi, sed & ipsum temporis articulum indi-  
cat accuratissime. Quando Christus erat mori-  
turus post solutam captiuitatem Babylonicam,  
ab eo tempore quo Iudæi cœperunt instaurare  
templum & urbem, usq; ad Christum principē  
et iam regnantem, erant septimanæ annorū. 700  
id est, 490. anni: has hebdomadas, partitur pro-  
pheta in tres partes. Principio tribuit. 7. septi-  
manas, hoc est, 49. annos, quibus reparari debe-  
bat templū, & urbs. Medio tēpori dat. 62. sep-  
timanas, coniunge. 7. habes. 69. septimanas, id  
est, annos 483. Post tot annos nempe. 69. septi-  
manas

manas excidendus erat Christus & crucifigen-  
 dus, nimirū anno quarto post. 69 hebdomadas,  
 quando Christus Euangeliū gratiæ Dei iā præ-  
 dicauerat toti Israeli annos. 3. & dimidiū. Hæc  
 ut prædicta sunt, ita sunt & impleta, Romanis  
 iam orbis Monarchiā obtinentibus.

Non grauo memorem tuā nunc pluribus  
 testimonijs, ubiq; enim in prophetis obuia sunt.

Cū itaq; uenisset hora Christi, qua ut agnus  
 immaculatus offerri pro nobis & mori uoluit,  
 ultro se hostibus iudæis exhibuit capiendū, &  
 ut habet Esaias, tanquā ovis ad occisionē ductus  
 est, & quasi agnus corā tondente se obmutuit.

Historiam passionis Euāgelistæ commemorant.  
 Tandē & à iudæis primoribus, ac populo & à  
 gētibus morti adiudicatus est. Ita Dominus pro  
 pter nos à toto mundo iudicari & damnari uolu-  
 it. Poncius enim Pilatus Romani Caesaris ethnici  
 in iudæa Ethnicus præses erat, et cruci affix-  
 us est inter duos latrones, sicut Esaias cap. 53.  
 prædixerat.

Et toto illo supplicij tempore loquebatur  
 sepcies Dominus Deus noster Iesus Christus,  
 quæ uerba à domino nostro in summa angustia et  
 acerbissimis animæ ac corporis doloribus dicta



## C A T E C H E S I S,

Christiani ut thesaurum conseruare & in cordibus suis conferre debent.

- I. Pater remitte illis (crucifixoribus) nesciunt enim quid faciunt: en charitatem erga hostes.
- II. Matri dixit: Mulier ecce filius tuus: Ioanni, Ecce mater tua, en moriturus matrem sanctissimam comendat Ioanni.
- III. Sitio, en uerae humanitatis certum indicium.
- IIII. Latroni conuerso Christum agnoscanti accõfitemi dixit, Amẽ dico tibi hodie mecum eris in paradiso. Ecce Dominus paradisi, cœli et terræ promittit latroni iam Christiano locum solacij et quietis, quod solius Dei est, ergo Christus est uerus Deus.
- V. Deus meus, Deus meus cur me dereliquisti? Ecce quõ se humiliãrit filius Dei tempore dispersionis, quãdo portabat peccata totius mundi, & tanquam illorum reus agebatur, erat enim si deiussor noster, qui non eramus soluendo.
- VI. Consummatum est. Ecce omnia quæ in salutẽ generis humani pater ei facienda iniunxit, per fecit, prophetias de se impleuit.
- VII. Pater in manus tuas cõmendo spiritum meũ, hoc exemplo pij morientes cõmendent animas suas in manus patris, & Christo Episcopo animarum. Vide

marū. Vide quo migrēt animæ Christianorum  
quando à corporibus abierunt.

Iam considera quæ fuerit causa huius præcio  
se mortis & quis fructus. Deus & misericors  
est & uerax, ex misericordia promisit nobis si  
lium suum redemptorem, et quod promisit, quia  
fallere & mentiri nescit fideliter impleuit, Chri  
stū misit ut pro nobis moreretur. Per unius ho  
minis inobedientiam peccatores facti sumus om  
nes. Per unius item hominis obedientiam Iesu  
Christi, rursus iusti efficimur. Esaias causam &  
fructus breuibus uerbis indicat. Causam quan  
do ait, Contritus est propter scelera nostra. Fru  
ctum uero his uerbis, liuore eius sanati sumus.

Sic enim peccatis nostris offensus erat deus,  
ut nulla re quàm preciosa morte unigeniti filij  
placari potuerit. Hæc itaq; mors saluifica nobis  
omnia bona attulit, oīa mala abstulit. En igitur  
causam finalem & fructum mortis Christi.

MORS ILLA EST VINICA et perfectissima  
satis factio pro peccatis nostris, est uera et æter  
na propiciatio, unicum sacrificium propiciato  
rium, cuius uirtute omnibus seculis omnium ele  
ctorum peccata sunt expiata.

Esaiæ: 53. postquam posuerit animam suā ho

## C A T E C H E S I S,

stiam pro delictis, uidebit semē longeuum, Ecce positio anime Christi, est hostia pro peccatis. Et hæc erat paterna uoluntas Dei, & promptissima uoluntas Christi. Per quam uoluntate ait Paulus. Heb. 10. sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam.

Esaiæ. 53. iniquitates eorum ipse portabit. 1. Cor. 15. Christus mortuus fuit pro peccatis nostris secundum scripturas. 1. Pet. 2. Christus peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui, iusticie uiueremus.

Zach. 3. ait Dominus, auferam iniquitatem terræ in die una, quæ de morte Christi propheta uaticinatus est.

Psal. 68. quæ non rapui tunc exoluebam, delicta mea à te non sunt abscondita. Hæc uerba Christus loquitur, qui factus erat pro nobis fideiussor, & debitor, & alienū debitum, nempe nostrum ipsemet persoluit, cumq; pater peccata nostra omnia in filium suum transtulisset Iesum Christum, ut ipse ea proprio sanguine aboleret, Christus hoc psalmo nostra peccata uocat sua delicta, ergo peccata nostra hac morte sunt deleta, 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato. Matth. 26. Hic est sanguis meus qui est noui testamenti, qui pro multis est

*funditur in remissionem peccatorum.*

Mors Christi, est recōciliatio generis humani cum Deo, Rom. 5. Cum inimici essemus reconciliati fuimus Deo per mortē filij eius. 1. Ioan. 4. Deus misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris.

Porrò hæc mors aboleuit et mortē, Hoseæ. 13. De manu mortis liberabo eos & de morte redimam eos. O mors ego ero mors tua. 2. Timoth. 2. Christus mortem aboleuit.

Esaïæ. 25. Messias deglutiuit mortem in æternum, & absterget Dominus Deus lachrymam à cunctis faciebus, et opprobrium populi sui auferet ab uniuersa terra, quoniã dominus locutus est. Hæc uerba ecclesia Christi intelligit de uictoria Christi, qua uicit peccatū & mortē. Sic enim canit: mortē moriēdo destruxit, uitā resurgēdo reparauit. Tum hæc mors plenam nobis et æternam redemptionem adtulit, à peccati, mortis, diaboli, tyrānide. Psal. 129. Ipse redimet Israël ab oibus iniquitatibus eius. Zacha. 9. Tu in sanguine testamēti tui emisisti uinctos tuos, de lacu in quo non est aqua, id est, Peccatores propter peccatum captiuos sub Satana, ad æternam damnationem, meritis tui sanguinis effusi liberaasti

## C A T E C H E S I S,

ex lacu illo, id est, loco cruciatus aut tormētore

Sophoniæ. 3. iubet propheta toto corde exultare Hierusalem, id est, Ecclesiam. Ratio gaudij tanti est, quia Deus abstulit (inquit) iudicium tuum, Avertit inimicos tuos, Dominus deus tuus in medio tui gigas, id est, fortis ipse saluabit. Hæc de Christo, Deo & homine rege Israël uaticinatur propheta, qui abstulit iudicium nostrum quod commueramus, id est, damnationē perpetuam, et hostes nostros, qui nobis moliebantur interitū, auertit, scilicet peccati, & diaboli tyrānidem, ac ipsemet in propria persona inter nos fuit & gygantea uirtute, fortem atrij uicit in cruce & nos saluauit. Hinc passim in prophetis Christus uocatur redēptor noster. Paulus ait Christum semel esse ingressum in sancta, æterna redemptione reperta. Ad Titū. 2. Christus dedit semetipsum pro nobis ut redimeret nos ab omni iniquitate & purificaret sibi ipsi populum peculiarem sectatorē bonorum operum. 1. Timoth. 2. Christus Iesus dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus.

Hæc mors est gaudium & triumphus conscientie nostræ Colos. 2. Christus deleuit Chirographum,

graphum, quod erat contrarium nobis, & sustu-  
 lu illud è medio affixū cruci, quod sic intelligas.  
 Primo, ut stilus inscribit peccatum conscientie  
 adamantinis literis.

2. Scriptura illa est consciētia proprii peccati,  
 Chirographum.

3. Hoc Chirographo Satan nos agit reos dam-  
 nationis.

4. Christus Chirographū adfixit cruci, quia  
 pro peccato satisfecit, à legis maledictione nos  
 redemit, ademit legi ius damnandi Christi fide-  
 les, si credimus in Christum hac fide pacem ha-  
 bemus erga deum per Dominum nostrum Iesum  
 Christum, Nam iusticia Christi per fidem fit no-  
 stra & tranquillatur conscientia, quia maior &  
 potentior est iusticia & innocentia Christi om-  
 ni iniusticia nostra & omnibus peccatis nostris  
 & totius mundi.

Hæc mors est uita nostra. Nam per hanc ua-  
 statum est mortus imperium in nos, & restituta  
 est nobis uera & beata uita. 2. Timoth. 1. Chri-  
 stus in lucem produxit uitam, ac immortalitatē,  
 sicut per Hoseam ait. O mors ego ero mors tua  
 id est, occidam te & penitus abolebone porro  
 quenquam meorū interimas. Confringam enim

## C A T E C H E S I S,

aculeum tuū, id est, peccatum, ut inermis & uis-  
 eta, cogaris audire Christianorum uocem tibi in-  
 sultantium, Mors ubi est aculeus tuus? Immanis  
 tyrānus eras, cuspide tua transfodiebas omnes,  
 omnes deuorabas, at nunc cuspis tua fracta est,  
 id est, peccatū deletum, iusticia per me restitua-  
 ta. Desisti igitur formidabilis esse Christi fide-  
 bus. Et hanc gloriosissimā uictoriā descripsit san-  
 ctus Apostolus Heb. 2. Postquā pueri cōmerciū  
 habent cum carne & sanguine, id est, sunt ueri  
 homines, & ipse (Christus) similiter particeps  
 est factus eorundem (id est, uerus homo) ut per  
 mortem aboleret eum qui mortis habebat impe-  
 riū, hoc est, diabolum, & liberos redderet eos,  
 quicumq; metu mortis per omnem uitam obnoxij  
 erant seruituti.

### Sepultura Christi.

Ad hæc Iesus Christus, sepultus est in monu-  
 mento nouo lapideo, quod erat in horto, nō pro-  
 cul à caluaria. Iudæi autē munierūt sepulchrum  
 custodibus adhibitis, & ingens saxū quod aduo-  
 lutum erat ostio sepulchri, obsignarunt, ut Mat-  
 theus & alij Euangelistæ testātur. Sic. n. psal.  
 16. prædixerat Christus per os Dauidis, Caro  
 mea requiescet in spe, certo enim erat tercio die  
 resurrecturus,

resurrecturus, nec corruptioni nec putrefactio-  
ni obnoxia esse debebat caro, quæ sancta et sine  
omni macula peccati erat. ita & Esaias cap. 53.  
dixit, requiem Christi fore gloriam uel gloriosam.  
statim enim resurrecturus erat gloriosissime,  
quippe uictor peccati, mortis & inferni.

Descendit et Christus ad inferos iuxta scrip-  
turas psalm. 16. Non derelinques animam meam  
in inferno. Nec fines ut SANCTVS tuus uideat  
corruptionem.

Descensus  
Christi ad in-  
feros.

Sicut .n. Christus homo propter nos factus  
est, ita uoluit & uere mori, uere sepeliri et secū-  
dum animam descendere ad inferna ad piarum ani-  
mas, Adam, Noah, Loth, Abraam, Isaac, Iacob,  
Ioseph, David & aliorum Christi fidelium, in si-  
nu Abrae quiescentium & expectantium ple-  
nam redemptionem, ut eas consolaretur: nec pa-  
tres solū ex inferno liberaret, sed & omnes cre-  
dentes à condito mundo usq; ad consummationē  
seculi, in quē omnes eramus damnati, in quo &  
tunc, sicut & in morte per sententiam diuinam  
eramus, ubi ignis æternus omnes filios Adam  
manebat, ut morti per Adæ peccatum traditi,  
in extremo iudicio traderemur etiam pœnæ ig-  
nis æterni, ubi nulla plane redemptionis spes  
fuisse, quemadmodum & Diabolo & angelis



## C A T E C H E S S,

eius nulla spes est, quibus ille ignis ab exordio mundi paratus est, & quotquot ex eius regno per Christum nō liberantur. Descendit itaq; ut Diabolū uinceret, omnemq; eius potentiam calcaret pedibus, Portas inferorum confringeret, ut ab inferis erueret suos, sicut & sponte in mortem se tradidit & sepeliri uoluit, ut suos à morte & sepulchro et à tota morte liberaret, & nos qui in eum credimus in certa spe gloriosæ resurrectionis quiesceremus post corporis mortem, sicut & omnes electi & Christifideles ab initio mundi ex hoc seculo emigrantes, quiescebant in sinu Abraæ, et eximiam illam ac cœlestem benedictionē, in benedicto semine Abraæ Christo expectauerant.

## FRIDERICHVS

Expecto iam expositionem sequentis articuli. **CHRISTVS** Iesus tertia die resurrexit a mortuis.

## F. OTTHO.

Christus non coniecit se in mortē, ut in illa maneret, sed ut uim omnem & uincula mortis disrumperet, & uicta morte & peccato deleto resurgeret. Cū enim propter peccata nostra se in mortem

in mortem tradiderit, et propria uirtute solutus doloribus mortis resurrexerit, quatenus impossibile erat illum à morte teneri, quia ipse est uera uita & resurrectio. Ioan. 11. consequens est, peccata nostra Christi morte esse abolita, uitam immortalē, hoc triumpho resurrectionis gloriose restituta, ut Ecclesia canit, mors & uita duello confluxere mirando, dux uitæ mortuus regnat uiuus.

Hoc grande mysterium resurrectionis Christi, et mortis nostræ per Christū uictæ prædixerunt prophetae. Ionas enim figura fuit Christi morituri, sepeliendi & resurrecturi, Ion. 2. Dominus præparauit piscem ingentem ut deglutiaret Ionam, & erat Ionas in uentre piscis tribus diebus & tribus noctibus, et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in terram. Hanc consolantissimam figuram ueritas ipsa Christus explicat Matth. 12. quando scribis & pharisæis signum petentibus respondit, Generatio praua (inquit) & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signū Ionæ prophetae. Quemadmodū enim fuit Ionas in uentre Ceti tribus diebus & tribus noctibus. Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Sepelie

## C A T E C H E S I S,

batur enim in die parasceues, & quieuit usque in  
 tertium diem, & cum sabbathū præterisset sunt  
 mo diluculo diei primi Sabbathorum, Christus  
 qui habet potestatem ponendi animam suam et pote-  
 statem rursus sumendi eam, Ioan. 10. magno  
 terræmotu facto, gloriose resurrexit in nouam  
 & æternam uitam, id quod angeli testantur Mar-  
 ci. 16: ne expauescatis, Iesum queritis Nazarea-  
 num, qui fuit crucifixus, surrexit non est hic, ecce  
 locum ubi posuerant illum.

Et Lucæ. 24. Angeli mulieribus dicebant,  
 quid queritis uiuentem cum mortuis, non est hic,  
 sed surrexit, recordamini ut dixerit uobis cum  
 adhuc esset in Galilea, dicens, quod oportuerit fili-  
 um hominis tradi in manus hominum peccatorum  
 & crucifigi & die tercio resurgere.

Dauid. psal. 8. Minuisti EVM (Christum)  
 paulisper ab angelis. Gloria & honore corona-  
 sti EVM & constituisti eum super opera manu-  
 um tuarum, omnia subiecisti sub pedes eius. Vati-  
 cinatus est sic propheta de Christo, qui cum es-  
 set filius Dei, uoluit etiam filius hominis fieri, in  
 mundo propter nos despectissimus & ad breue  
 tempus, uel mortalitatis suæ uel passionis suæ in-  
 fra angelos deiectus est, quando semetipsum ex  
 inaniuit

inaniuit factus patri obediens usq; ad mortem,  
 mortem autem crucis. Cæterum in resurrectione  
 ne mox coronatus est ineffabili honore & glo-  
 ria beatæ immortalitatis & summæ potestatis,  
 quia constitutus est rex & Dominus omnium.

Hic habes gloriosam Christi resurrectionem.  
 ET psalmo. 15. David resurrectionem Chri-  
 sti clarissime Apostolis testibus prædixit.

Non derelinques animam meam in inferno,  
 Neq; dabis sanctum tuum uidere corruptionē;  
 Notificasti mihi uias uitæ, implebis me laticia  
 cum uultu tuo, iucunditas in dextera tua in æter-  
 nū. Sanctus Dei Christus est, cuius caro priuē  
 legio suæ innocentie & integritatis, etiamsi ad  
 tempus mortalis esset, & in sepulchro mortua  
 iaceret, corruptioni tamen & putrefactioni nō  
 erat obnoxia, ut nostra caro quæ in peccato con-  
 cepta & nata est. Huic pater notas fecit uias  
 uitæ ueræ, nimirum, in quam mors nullum habet  
 imperium. Nam resurgendo ueram atq; immor-  
 talem uitam non solum ipse primus ingressus  
 est, primus paradysum intrauit, sed & nobis  
 hanc uitam ad uitam immortalem & beatam  
 aperuit. Et sicut fuit primogenitus ex mor-  
 tuis, Colossen. primo, Primus qui in ueram,

## CATECHESIS,

et cœlestem uitam resurrexit glorificato corpore. Ita & resurrectio eius gloriosa, est causa efficiens nostræ resurrectiōis in gloriam cœlestē.

Vera itaq; et perpetua læticia impleuit Christum pater, quia ab omnibus malis & erumnis ereptum ad dextram suā collocauit, ubi est aperta uisio, fruitio Dei, securitas æterna, æternum que gaudium.

Dauid psal 21. cum mortem Christi & mortis genus expressisset, mox tamen prædicit fore ut Christus narret nomen Dei patris, Fratribus suis in Ecclesia. Narrabo nomē tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te, ergo necessario erat resurrecturus à morte, ut patris gloriā fratribus, id est, Christianis narraret.

Mox canit, quos fructus ex laude Dei, quando gratia dei in Christo prædicatur, proueniat: Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt dominū, qui requirunt eum, uiuent corda eorum in seculum seculi.

Id est, pauperes spiritu, qui corda contrita habent & timent iudicium Dei, pascuntur prædicatione Christi, saturabuntur, quia a fide consequentur, & pacē cōscientiarum, qua iusticia fidei uiuent in æternum, & hac prædicatione congregabitur

congregabitur Ecclesia Christi, sicut canit: Reminiscantur & conuertentur ad Dominum omnem fines terræ. Adorabunt in conspectu eius omnes patrie gentium, quoniã Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Hoc uaticinio docet Dauid resurrecturum Christum. Nã prædicare eum oportet & Ecclesiam conuocare & alios uiuificare in æternum. Regnum præterea est eius, et ipse dominabitur in toto mûdo. Non igitur poterat in morte detineri, qui regnũ debebat erigere, & tale regnum, in quo subditi in æternum sunt uicturi ipsum igitur oportebat primum morte uicta resurgere, & etiam omnes suos correges à mortuis exuscitare.

Esaias cap. 9. uocat Christũ **מְשִׁיחַ**. Abi ad, id est, patrem æternitatis, & antea nominauerat ipsum, puerum nobis natũ: si natus est homo, ergo mortalis erat. At idem est Pater æternitatis, qui ut Pater suos Christianos in æternũ cõseruat, sicut Ioan. 10. ait. Oues meæ sequuntur me, & Ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam de manu mea. Necessarium igitur erat Christum resurgere à mortuis, ut esset primogenitus ex mortuis, Coloss. 1. Primogenitus inter multos fratres.

## C A T E C H E S I S,

Ro. 8. & nobis auctor gloriose resurrectionis, in uitam coelestem, & sempiternam. Eodem capite uaticinatur propheta, regnum Christi in dicio & iusticia disponendum & fundandū esse in sempiternum, & pacis in hoc regno nullum fore finem. Ex hac prophecia necessario consequitur, & Christum esse resurrecturum à mortuis, quia est rex aeterni regni, & nos qui Christo adheremus ut membra capiti, certo etiam esse resurrecturos: nos enim sumus regnum Christi, nobis hæc pax sempiterna promissa est. Ergo resurgemus in nouam illam & coelestem uitam, ubi mors amisso aculeo nemini timenda est. Nam in reuelatiōe regni Christi, mors ultimus hostis abolebitur. 1. Cor. 15. & canetur hymnus ille de uictoria nostri regis, Mors absorpta est in uictoria uel in sempiternum. Et ne mihi omnia uaticinia de resurrectione Christi & sanctorum recensere sit necesse,

**Regula certa.** Obserua hanc infallibilem regulam. Omnes scripturae propheticæ, quæ de regno Christi aeterno uaticinatur, si eas diligenter inspexeris, et nucleum earum excusseris, irrefragabiliter & certissime conuincunt, Christum resurrecturum esse à mortuis, ipsum esse uerum deū & hominē,

& omnes etiam homines esse per eū resurrectu-  
 ros. Nam cū Rex sit cōstitutus æternæ gloriæ,  
 necesse est ipsum posse & uelle abolere peccatū  
 et mortē: ergo necesse est ipsum natura esse deū,  
 cum hæc opera magnifica solius sint diuinæ po-  
 tentiæ & bonitatis. Cum autē & homo sit, certe  
 mori potest, nec tamen in morte detineri potest,  
 cum ipsum regnare oporteat super throno Da-  
 uid & super domum Iacob in æternū Esa. 9. Lu-  
 cæ cap. 1. Mortuus enim nō potest regnare. Por-  
 rō cū regnū eius aut domestici eius sint Christia-  
 ni, quibus in illo regno, æterna pax & securitas  
 promittitur, Ergo nec ipsi poterūt in morte deti-  
 neri sed resurgēt in uitā, cum Christus nō possit  
 esse rex mortuorū et cum oēs illi moriantur. Tā-  
 enim potēs est resurrectio Christi, ut & damna-  
 ti cogantur resurgere, quo dignam factis impijs  
 mercedem, id est, Gehennam accipiant, utq; sca-  
 bella fiant pedum Christi, ut ipse sit iudex et do-  
 minus uiuorum & mortuorum.

Esaias cap. 25. Messias deglutiuit mortem  
 in sempiternum, quod uaticinium non solum do-  
 cet, Christum deuicta & penitus abolita mor-  
 te resurrecturum, sed & nos reuicturos, qui



## C A T E C H E S I S,

sumus mēbra Christi. Nā propheta dicit, Domi-  
nū Deum ablaturū lachrymas ab oī facie, id est,  
omnes causas nostri mœroris, luctus, & fletus,  
quæ sunt peccatum, morbi & mors. Esaias. 53.  
si dederit animam suam hostiam pro peccato, ut  
debet semen longæuū, id est, si Christus pro no-  
stris peccatis mortuus fuerit, aut se patri obole-  
rit uictimam, per mortem, sua morte, mortem  
abolebit, et ipse durabit in æternum, & hi quos  
redemit similiter uiuent cum ipso in æternū. Er-  
go oportebat eum à morte resurgere & nobis e-  
tiam beatæ uitæ æternitatem conferre.

Et Hoseas quàm magnifice descripsit uictori-  
am Christi, ubi Dominus noster, uitæ autor, sic  
nos solatur & morti minatur interitum, De ma-  
nu inferni liberabo eos, de morte redimā eos. De ma-  
mors ego ero pestis tua, ò inferne ego ero deua-  
statio tua. Ecce si Christus noster, nos de inferno  
& sepulchro liberabit, si erit mors morti, ergo  
abolebit mortem, & in se & in nobis, ut ipse sit  
primiciæ eorum qui dormierant, 1. Cor. 15. id  
est, ut ipse primus uincat mortem, resurgat in æ-  
ternam uitam, & nos ex faucibus mortis eripi-  
at, uiuificet, & in uita uera in æternum con-  
seruet.

FRIDERICHVS.

Quo pacto autem intelligam hoc mysterium  
Ascendit Christus in cœlū, Sedet ad dex  
tram Dei patris omnipotentis.

F. OTTHO.

Christus Lucæ ultimo discipulis ordinē suo  
rum operum reuelat dicens. Nonne hæc oport  
uit pati Christum & intrare in gloriam suam?  
Primo itaq; tempore dispensationis, decreto dei  
patris, oportebat Christum in humilitate appa  
rere, et ut Esaias prædixit, fieri despectum, &  
nouissimum uirorū, plenum doloribus & infir  
mitatibus, adeo contemptū ut auerterentur uul  
tus ab eo, uerum hac uia crucis recta tendebat  
ad gloriam suam sempiternam.

Deinde cōpleto tempore dispensatiōis à Pa  
tre commissæ, cum iam usq; in ignominiosissimā  
mortem crucis semetipsum humiliasset per sum  
mam obedientiam, mox aderat iucundissima  
hora glorificationis eius, Sicut prædixerat. 10.  
16. Nunc uado ad eum qui me misit. Exiui à Pa  
tre & ueni in mundum, iterum relinquo mundū  
& uado ad patrē. Et Ioan. 20. Ascēdo ad patrē  
meum, & Patrem uestrum, & Deum meum, &

## C A T E C H E S I S,

Deū uestrum. Rupto igitur mortis carcere propria uirtute resurrexit, & per mortem corporalem, in ueram, cœlestem & sempiternam uitam ingressus est. In hoc resurrectionis triūpho glorificatus est. Nam resurrectio eius, fuit plena eius glorificatio & exaltatio in summam sublimitatem, accepto imperio, & regno super omnes creaturas in cœlo & in terra. Postea tamen ut certi essemus de tanto mysterio, aperte etiā ostēdit humanis oculis, Ascensionem suam in cœlos, die quadragesimo à resurrectione, cum iam discipuli de resurrectione uera Christi, uarijs argumentis et sensuum experimentis, plenissime certificati essent, & ut Lucas capite ultimo habet, Eduxit discipulos foras in Bethaniā, et sublatis in altū manibus suis benedixit eis ac ferebatur in cœlum, ubi pater ipsum sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, ac potestatem & uirtutem & dominium, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, uerum etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia ipsi ecclesie, quæ est corpus illius & completum eius, qui omnia in omnibus adimplet  
 Ephe. 1.

Hunc Evangelij articulum propheta non ta  
cuerūt, ut David corona prophetarū in Ps. 109.

Dixit Dominus Dño meo, sede  
a dextris meis, donec ponā inimi  
cos tuos scabellū pedū tuorum.

Hec de Christo prædicta sunt, cuius spiritu  
magistro, David hoc mysteriū prævidit & ceci  
nit. Christus Matth. 22 interrogat phariseos  
cuius filius sit Messias uel Christus. Pharisei re  
spondent filius Davidis. Id enim sciebant ex scri  
pturis. 2 Reg 7. & rursus interrogat eos Chri  
stus, quomodo David in spiritu Christum uocet  
Dominum suum. Si Christus est Dominus Dau  
dis, quomodo filius eius est? At Pharisei cæci  
obmutuerunt, non intelligentes scripturas. Chri  
stus enim filius est Davidis secundum carnem,  
& nihilominus, ut Augustinus in Psalmo. 109.  
docet, est **DOMINVS** Davidis, secundum  
utraq; naturam. Secundum diuinam naturam  
est uerbum æternum Patris, & creator Da  
uidis, secundum humanam, est Rex & sacer  
dos æternus, in carne clarificata Davidis,

## C A T E C H E S I S,

ad dextram dei sedens, uerus saluator Davidis, qui per hunc suum filium à maledictione liberatus est eterna. Summa est ergo potestas eius. Patet eum ad dexteram suam collocauit, id est omnem ei potestatem dedit in cœlo & in terra, quod Paulus Philip. 2. sic exprimit, Deus Christum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen quod est supra omne Nomen, ut in nomine iesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium & infernorum. Omnisq; lingua confiteatur, q; Dominus sit iesus Christus ad gloriam Dei Patris. Sic eum prædicant Apostoli Acto. 2. Dextera Dei exaltatum, & Acto 3. Oportebat iesum Christum cœlum accipere usq; ad tempus restitutionis omnium, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum.

Acto. 5. Hunc Christum principem & seruatorem Deus exaltauit dextera sua.

Psalmo itē. 67. Triumphalibus uerbis propheta Christi uictoriam, describit: Ascendisti (inquit) in altum, captiuam duxisti captiuitatem, quam prophetiam. Apostolus Eph. 4. de iesu Christo intelligit, qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia et ascendit gloriosissimus uictor peccati, moris & Satanae, qui nos capti uos in

nos in regnum maledictionis abduxerat in æternum excrucianos. Christus autem expoliatos principatus, ac potestates tenebrarum ostendit palam, triumphans illos per semetipsum, id est, illos captiuatores rursus cepit, qui hominē ceperant, id est, mortem & Satanam, et his fortiter deuictis & spoliatis reduxit prædam, sibi ablatam, nimirum nos, quos Satan captiuos detinebat, id quod inenarrabili gaudio, ut fit in uictorijs gloriosis. Ideo de eodem mysterio psalm. 46. sic cecinit. Ascendit Deus in iubilo Dominus in uoce tubæ, quod uaticinium de Christo uero deo et homine glorificato intelligendum est. Et cum in Christo Deus & homo sint una persona, Deus dicitur ascendere, nimirum secundum naturam humanam glorificatam, quam ut primitias nature nostræ, tum primum cælis inuexit.

## FRIDERICHVS.

Dicito quis nobis fructus, quæ cōsolatio proueniat ex hoc glorioso Christi ascēsu ad patrē.

## F. OTTHO

Hæc uictoria mi fra er & triumphus ille ad nos pertinet, nostros enim hostes prostrauit & pessundedit Christus. Nec iam sibi solum, sed no

## C A T E C H E S I S,

*bis sedet ad Patris dexteram, sine intermissione  
 fungens officio regis & sacerdotis. Thronum  
 David, id est, Ecclesiam disponit, et fulcit uerbo  
 & spiritu suo, iudicio & iusticia, tuetur nos in  
 omni periculo, intercedit pro nobis, spiritum san-  
 ctum mittit in corda nostra, et hoc unum agit, ut  
 & nos breui, completo electorum numero, ab  
 omnibus malis spiritualibus & corporalibus  
 ereptos in gloriam patris adducat.*

*Ita enim ait Ioann. 16. Expedi uobis ut ego  
 uadam ad patrem. Si enim non abiero, consolator  
 ille non ueniet ad uos. Si autem abiero mihi tam enim  
 ad uos, & cum uenerit ille arguet mundum de  
 peccato & de iusticia & de iudicio Ioann. 14.  
 Vado paraturus uobis locum: sed ubi est locus il-  
 le? Ecce rursum ait cap. 17. Pater quos dedisti  
 mihi, uolo ut ubi sum ego & illi sint mecum, ut ui-  
 deant gloriam meam quam dedisti mihi, quia di-  
 lexisti me ante conditum mundum*

*Ideo si resurreximus una cum Christo, ut Pau-  
 lus monet, superna quaeramus ubi Christus est  
 ad dextram Dei sedens Coloss. 3.*

*Vertamus corda & oculos nostros ad Chri-  
 stum glorificatum in omnibus aduersis, quia est  
 noster*

noster misericors & fidelis pontifex in his quæ  
 apud Deum sunt agenda in cœlis, Hebræ. 2. Ac  
 cedamus cum fiducia ab hunc thronum gratiæ,  
 ut consequamur misericordiam. Heb. 4. ipse,  
 apud patrem, aduocatus noster est. 1. Ioan. 2.

Si nos uel tenuiter dulcedinem consolantiſſi  
 mi huius Articuli uera fide deguſtaſſemus, ſem-  
 per gauderemus in Domino. Quæ enim mala  
 ſunt tam horrenda, ut magnopere timenda ſint  
 ijs, qui credunt IHESVM CHRISTVM,  
 uictò mundo & oppreſſo Satana, inuictum reg-  
 nare in dextera maiestatis Dei & pro nobis iu-  
 giter intercedere?

## FRIDERICHVS.

Sequitur articulus de iudicio: Inde uen-  
 turus est iudicare uiuos & mor-  
 tuos. Hic per ordinem narra, quando futurũ  
 ſit hoc iudiciũ, quomodo celebrandum, & quis  
 futurus ſit rerum omnium ſtatus. Deniq; qui  
 ſint illi uiui & mortui à Chriſto iudicandi.

## F. OTTHO



## C A T E C H E S I S.

Quod ad primum attinet, scito hoc iudicium fore extremum nouissimo die celebrandum. Articulum temporis eius præter Deum nemo nouit. Nobis autem scriptura tantum manifestat, quantum nobis ad uitam piam satis est,

I.

Primo certum est diem illum eo temporis pino eto uenturum quod pater statuit. Nostrum autem non est nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate, cum autem illuxerit ille dies, sistentur Christo supremo iudici omnes gentes, boni & mali, ut unusquisque recipiat mercedem secundum facta sua, & tunc erit finis mundi huius.

II.

Deinde scias horam his tantis rebus destinam, soli Deo notam esse, ut nos in timore Domini & oratione fidei uigilemus, & cautius uiuamus, quo liceat nobis effugere ista omnia, quæ superuenient orbi terrarum & stare ante filium hominis Luc. 21.

Rom. 2.

2. Cor. 5.

Matth. 24.

Luce. 21.

III.

Postremo signa tamen nobis prædixit Dominus, quæ diem illum iræ & redemptionis antecedent, ut uisis his Christiani gaudeant, quia appropinquat redemptio illorum, quam Christus Luc. 21. uocat pulcherrimo uerbo ἀπελευθέρωσις, id est,

id est, expositore Theophylacto, cōsummationē  
 utriusq; libertatis, animæ et corporis. Quæ ab  
 omnibus malis plene tū liberabuntur, peccatis,  
 morte & omnibus morbis & aduersitatibus,  
 penitus abolitis. Impij qui nulli uerbo Dei cre-  
 dunt, putant minas de extremo iudicio figmen-  
 tum esse, ideo sine timore Dei sectantur desyde-  
 ria carnis, edunt, bibunt, ædificant, celebrant  
 nuptias sanctas, sine omni studio sanctitatis, in  
 summa carnis securitate, Matih. 24. Sicut tem-  
 pore Noë homines carnaliter securi, nihil cura-  
 bant conciones Noë, & subito ipsos oppressit di-  
 luuium, ita dies domini, primo Thessa. 5. ut fur  
 in nocte ita uēturus est. Cum enim dixerint pax  
 & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet inte-  
 ritus. Sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec  
 effugient. Cur illa? quia in tenebris impietatis  
 obambulant male securi. Sed nos qui Christi E-  
 uangelio credimus non sumus in his tenebris, ut  
 dies ille nos tanquã fur opprimat: nos filij lucis  
 sumus, ac filij diei non noctis & tenebrarum,  
 proinde nobis uigilandum, non dormiendum in  
 peccatis, sed sobrie, iuste et pie uiuendum in præ-  
 senti seculo, ut sponso Christo ueniente ad nupti-  
 as, cum quinq; uirginibus prudentibus simus pa-

## CATECHESIS,

rati, et oleum fidei ac timoris Domini habeamus  
in lampadibus nostris, Matth. 25.

Cum autem Dominus noster nobis signa da-  
turus sit, ex quibus diem iræ appropinquantē  
intelligamus, et redemptionem nostram leti ex-  
pectemus, certe impietas fuerit, hæc signa negli-  
gere.

Daniel uaticinatus est quatuor præcipua re-  
gna, uel monarchias in toto mūdo usq; ad finem  
seculi futuras esse. Quarta monarchia est Ro-  
manum Imperium, cuius nunc moderator &  
imperator est Carolus Quintus, Magni illius  
Maximiliani Cæsaris nepos. In ea Monarchia  
res omnium maximæ fieri debebant, nempe na-  
ci debet Christus, et hic mundus finiri & om-  
nibus mundi regnis in nihilum reductis, solum  
Christi regnum reuelari, durare & florere in  
æternum Daniel. 2. & 7. cap.

Hoc Romanum imperium sic corruet ante ex-  
tremum diem & secundum Christi aduentum,  
ut in eo uix liceat cernere ueteris illius imperij  
ruinas aliquas, & nomen. Hoc signum ueteres  
Orthodoxi Chrysostomus, Hieronymus, &  
Ambrosius eliciūt ex uerbis Apostoli. 2. Thes. 2  
Tantum

Tantum qui tenet in presentia, teneat, donec è medio tollatur.

Et Antichristus reuelabitur ante nouissimū diem, id est, aduersarius Christi, qui ex diamentro uitæ & doctrinæ Christi contrarius est, sub optima tamen specie, quia sedebit in templo dei, id est, regnabit in Ecclesia, quem mundi potētia non poterit opprimere, sed solus Christus, claritate aduentus sui abolebit illum iniquum hominem peccati & filium perditionis. Iam uide quot regna à Romano Imperio defecerint, Longobardia, Hispania, Gallia, Anglia, Asia, Græcia, Aegyptus, Syria, Aphrica, & in Germania permansit hæctenus nomen & honor aliquis ueteris Romani imperij. Et uel cæci uident, quis nomine Christi cōtra Christū in Ecclesia regnet, et psychotyranū agat. Hic habet suos pseudoprophetas, de quibus Matthæus prædixit, cap. 24. Et quanta multitudo per efficaciam illusionis in tota Europa seducitur, ut relicta ueritate credat mendacio? Nec desunt persecutiones crudelissimæ in Ecclesiam CHRISTI, quales ne tempore quidem Neronis aut Diocletiani erant. Animæ, corpora, honor, res omnes periclitantur, stupidus est qui hæc non sentit,

## C A T E C H E S I S,

Signa:

impius est q̄ contemnit, quasi omnia in tuto sint.  
 Porro Christus signa prædixit futura, in sole,  
 luna, & stellis, que Mathæus cap. 24. de obscu-  
 ratione horum luminū intelligit. Si autem flagi-  
 cia mundi intuemur, non uideo quid ad summam  
 impietatē possit addi. Nunc enim uidemus homi-  
 nes sui amantes, auaros, fastuosos, superbos, su-  
 pra omnem modū maledicos, parentibus immo-  
 rigeros, ingratos, impios, carētes adfectu, nesci-  
 os foederis, calūniatores, intemperantes, immi-  
 tes, negligētes honorū, proditores, præcipites,  
 inflatos, uoluptatum amantes potius quā aman-  
 tes Dei, habentes formā pietatis scilicet qui uim  
 eius abnegârunt, & istos iubet Apostolus auer-  
 sari, & dicit ex ijs esse, qui subeunt in familias,  
 & captiuas ducunt mulierculas oneratas pecca-  
 tis, que ducuntur cōcupiscentijs uarijs. semper  
 discentes, neq; unquam ad cognitionem ueritas  
 uenire ualētes. 2. Timoth. 4. Hæc omnia iam  
 nihil opus est exemplis illustrare, cum mundus  
 his monstris plenus sit.

Age ergo audiamus Christum et apostolos,  
 fideliter nos monentes, ut ab impietate & ter-  
 roribus horum hominū cautissime abstineamus,  
 & nos integros seruemus in diē magnū Christi.  
 Christum

autem ad hūc modum iudicaturum esse mundū,  
præuiderunt prophetae, & nos monuerunt.

David Psal. 95. Deus iudicabit orbem terræ  
in æquitate & populos in ueritate sua.

Hunc iudicij diem, uocat Malachias succen-  
sum, quasi caminum, in quo impij omnes erūt ut  
stipulae: & sicut Ioannes prædixit, Christus im-  
pios ut paleas exuret igni inextinguibili Mat. 3.

Et Psal. 96. prædicitur ignis apud iudicem:  
Ignis ante ipsum præcedet & inflammabit in  
circuitu inimicos eius. Nam & Petrus ignem  
eius diei prædixit, quo omnia corporalia soluen-  
tur, & liquefcent cœli, Elementa, & corpora  
hominum superstitum.

Esaias cap. 66. Ecce Dominus in igne ueniet  
& quasi turbo quadrigæ eius (id est, exercitus  
Angelorum) ut reddat in furore iram suam, &  
inreparationem suam in flammis ignis, quia in ig-  
ne Dominus iudicabit etc. Magna enim erit ma-  
iestas secundi aduentus ad ultionem, & impijs  
formidabilis, uenturus est enim, & Apostolo te-  
ste. 2. Theff. 1. cum Angelis potentia suæ cum in-  
cendio flammæ.

Psal. 49. Deus manifeste ueniet, DEVS  
NOSTER & non silebit: ignis in conspectu ei

## D. V R B. R H E G.

us exardescet, & in circuitu eius tempestas ualida. Aduocauit cœlū sursum & terram, ut discernat populum suum. Hic uaticinatur propheta Arnobio & Augustino testibus de iudicio extremo, & de secundo iudicis aduētū, qui in priorē aduentu, humilis & contemptus uenerat in serui forma, quando iuxta Esa. cap. 43. 42. ser-  
 uiebat nobis in expiandis peccatis nostris, non clamabat, nō audiebatur uox eius foris, non quassatum non conterebat, nec linum fumigans extinguebat. Tandē in cōsummatione seculi manifeste ad iudicium ueniet, tāta maiestate & potentia, ut uniuersus orbis contremiscat, sicut Ioan. Apocalyp. cap. 1. ait. Ecce uenit princeps regum terræ cum nubibus, & uidebit E & M omnis oculus, & qui eum compunxerunt. Tunc cōuocabuntur angeli e cœlis, et homines ex uniuersa terra, & cum impij omnes ad tribunal iudicis uniuersorum sint congregandi ut iudicentur, ignis & tempestas ualida & horrenda species iudicis irati erit in circuitu eius, uerum hic ignis non adfliget sanctos à dextris Christi: ij enim obuiam Christo in aëra rapientur, ut coronam gloriæ accipiant, sed impios, hædos à sinistris, inuoluet ignis, ut & Petrus. 3. docet, qui

cet, qui nūc sunt cœli & terra eiusdem sermone  
repositi sunt & seruantur igni, in diem iudicij  
& perditionis impiorum hominum.

## FRIDERICHVS.

Quomodo ergo celebrabitur hoc iustum &  
horrendum iudicium? quis tum mundi status  
erit?

## F. OTTHO

Matthæus ait cap. 24. Sicut fulgur exit ab Oriente, & apparet usq; in occidentem, ita erit extremi, & aduentus filij hominis. Post apparitionem signo stupēda Christum, quæ tibi recensui, uemet filius hominis in sti opera. nubibus cœli cum uirtute & gloria multa, & omnes sancti Angeli cum eo, & resuscitabit à mortuis omnes homines, qui ab Adam usq; in hoc temporis momētum mortui & sepulti sunt, idq; subito in momento oculi. 1. Cor. 15. Mittet angelos suos cum tubæ uoce magna, & congregabunt electos eius, à quatuor uentis à summis cœlorum usq; ad terminos eorum. Christiani inenarrabili gloria animæ & corporis exornabuntur. Sicut Apostolus Philippensium tertio docet. E cœlis (inquit) saluatorem expectamus  
DOMINVM IESVM CHRISTVM,



## C A T E C H E S I S,

qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut cō  
forme reddat corpori suo glorioso, secundam ef-  
ficaciam qua potest etiam sibi subijcere omnia.

Tum etiam infinita dei potentia (ut Deus no-  
bis per Esaiam. cap. 65. per Paulum Rom. 3. &  
Petrum. 2. Petri. 3. reuelauit) mundus hic uisibi-  
lis renouabitur & purgabitur ab omnibus coin-  
quinamentis impiorum & impietatis. Et ut Pau-  
lus ait, ipsa creatura, id est, rerum uniuersitas li-  
berabitur à seruitute corruptionis in libertatem  
gloriæ filiorū dei. Et Petrus. Per aduentum dei  
Dei cœli incensi soluentur, & elementa æstuan-  
tia liquefcent, sed cœlos nouos ac terram nouam  
iuxta promissū illius, (Esaiæ. 65.) expectamus,  
in quibus iusticia inhabitat. Sicut igitur homo  
renouabitur, ita & mundus ille cum homine in-  
staurabitur & innouabitur.

Et tūc, ait Mathæus, sedebit Christus super  
sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum  
omnes gentes.

Nunc audi formam & processum iudicij.

Et separabit eos alteros ab alteris, sicut,  
pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues  
quidem à dextris suis, hœdos à sinistris.

Christianis suis primum dicet sententiam,  
quā

quam mi frater altamente reponito, ut unicam  
Christianorum consolationē. Nā etsi in hoc mun-  
do omnibus iniurijs sint expositi, ut etiam à Deo  
derelicti esse uideantur, tamen apud illud æ-  
quissimum tribunal Christi, mutatis rerum uici-  
bus, in æternum liberati ab omnibus malis, æter-  
næ uitæ hereditatem accipient immarcescibile,  
qua inestimabili & indeficienti omnium bono-  
rum copia compensat oēs sanctorū adflictiōes:

Venite, inquiet, benedicti pa-  
tris mei, possidete regnum para-  
tum uobis ab exordio mundi.

Hæc spes nos recreat in omnibus tribulationi-  
bus. Esto impij in hoc mundo lætentur secū dum  
carnem, Christiani autem plorent & lamenten-  
tur sub cruce, mœror tamen noster Ioan. 16. uer-  
tetur in gaudiū, quod nemo tollet à nobis. Nam  
post momentaneas huius uitæ afflictiones, possi-  
debimus regnum Dei, erimus hæredes Dei, co-  
hæredes & correges Christi, Rom. 8. Deinde  
iudex dicet hædis, id est, impijs, qui Euangelio  
Christi non obedierunt: Discedite a me  
maledicti in ignem æternū, qui

CATECHESIS,

paratus est Diabolo & angelis eius. Et ibunt impij illi in suppliciũ eternum, iusti uero in uitam eternam. Hęc horribilis sententia si sapimus semper ante oculos nostros statuenda est, ut à peccãdo absterreamur, & dominum precemur, ut nos præseruet ab ira uenturã.

FRIDERICHVS.

Sed qui sunt uiui illi & mortui?

F. OTTHO.

Lucas cap. 21. dicit fore ut dies Domini, quo uniuersale iudicium celebrabit, subitus ingruat, & tanquam laqueus superueniat in omnes qui sedent super faciem totius terræ. Et Petrus 2. Pet. 3. dicit eũ diem ut furem in nocte uenturũ, & Christus Matth. 24. nos monet ut uigilemus & parati semper simus, quia qua hora non putamus, ea filius hoĩs uenturus est. Irruente itaq; subito hac die, multi homines uiui etiamnum uita hac animali reperiuntur, ut Luc. cap. 17. doctet. Sicut accidit in diebus Noë, ita erit & in diebus filij hominis, edebant, bibebant, & uenit diluuium et perdidit omnes. Secundum hæc erit dies, quo filius hominis reuelatur, id est, reperientur adhuc uiuentes in carne. Hoc uiuos tum iudicabit

cabit Deus, subito enim in momento oculi stabūt ante iudicem, nec tum sepulturæ locus erit, aut tempus ut dormiant sub terra, sicut alij mortui sunt, & in terræ puluere dormierunt, ab Abel usq; in diem illum. Hoc mysterium nobis reuelat Apostolus. 1. Cor. 15. Ecce (inquit) mysteriū uobis dico. Nō omnes quidem dormiemus (id est, non oēs mortui sepeliemur in terrā ut cōputrescamus) sed omnes immutabimur. (hoc est, immortales & incorruptibiles efficiemur) in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam, canet enim, et mortui resurgēt incorruptibiles, & nos immutabimur.

Quod mysterium reuelat & 1. Thessa. 4. et docet q; uiui non sint prauenturi mortuos ad iudiciū. Nō enim tardius aderunt Adam, Abel, Abraam, Isaac, Iacob, & c. quā uiui quos dies Domini in carne reperit.

Sed pulcherrimū Apostoli textum adscribā, ut eum ediscas, docet enim Paulus sublimia mysteria, ut pote resurrectionē carnis, mortē Christianorum esse somnum tantum, & ordinem resurrectionis, & quomodo Christus de cælo aduenturus sit, & de æterna sanctorum beatitudinis & consolatissime concionatur.

C A T E C H E S I S,

Nolo uos ignorare fratres  
 de ijs qui obdormierunt, ne do-  
 leatis quemadmodum & cæteri  
 (gentiles) non habentes spem.  
 Nam si credimus, q̄ I E S V S  
 mortuus est & resurrexit. Sic &  
 D E V S eos qui obdormierunt  
 per I E S V M, adducet cum illo,  
 hoc enim uobis dicimus in uer-  
 bo Dñi, q̄ nos qui uiuimus et  
 reliqui erimus in aduentum Do-  
 mini nequaquam preueniemus  
 eos qui dormiunt. Quoniã ipse  
 Dñs cū hortatu & uoce archan-  
 geli ac tuba dei descendet de cœ-  
 lo et mortui in Christo resurgēt  
 primū, deinde nos q̄ uiuimus,  
 qui reliqui erimus, simul cū illis  
 rapiemur in nubibus in occur-  
 sum Dñi in aera, & sic semper

cū dño erimus. Proinde cōsola  
mini uos mutuo fermōibus his.

Hic habes nostros illos uiuos, id est, qui adhuc  
in carne uiuent Domino ueniente, sed rapiuntur  
subito & in raptu mutabuntur, & corpora illa  
crassa & corruptibilia efficiuntur in momento  
spiritualia et incorruptibilia. Mortui sunt, qui à  
principio mundi usq; ad diem iudicij ex hoc se-  
culo emigrârūt, & quorum corpora in terra in-  
terim quieuerunt.

Hūc articulum sic recitat Apostolus Paulus  
2. Timoth. 4. Christus iudicaturus est uiuos &  
mortuos, in apparitione sua & in regno suo. Eo-  
dem modo ponit Petrus. 1. Pet. 4. & Acto. 10.  
sic cōcionatur Cornelio, Christus est ille qui cō-  
stitutus erat à deo iudex uiuorū & mortuorū.

## FRIDERICHVS.

Perge, et reliquas symboli partes pertracta.

## F. OTTHO.

Credo in spiritum sanctum,

Agemus nunc de sanctificatiōe quæ fit per spiri Sanctificatio  
tum sanctū, qui est tertia persona in diuinitate,  
ubi primo obseruabis spiritū sanctū esse natura  
Deum, patri & filio consubstantialē personā

## C A T E C H E S I S.

diuinitatis, quæ sanctificat et uiuificat naturam  
 humanã, sicut Christus personas discernit. Mat.  
 28. Baptisantes in nomine patris & filij & spi-  
 ritus sancti. Si una tãtum esset persona in diuini-  
 tate, Christus nõ tam distincte loqueretur de tri-  
 bus personis. Spiritus sanctus igitur est tertia  
 persona procedens ex Patre & filio. Ioan. 15.  
 Cum uenerit paracletus, quẽ ego mittam uobis  
 à patre spiritum ueritatis qui à patre procedit.  
 Spiritus ille Christi à condito mundo electos om-  
 nes, Patriarchas, prophetas, Apostolos, et cete-  
 ros, quos pater Christo dedit sanctificauit. Pro-  
 phetas & Apostolos, singulari quodam lumine  
 illuminauit ut arcana uoluntatis diuine & Euã-  
 gelium Christi uiderent, et nobis annuntiarent,  
 nam Petrus testatur. 1. Pet. 1. Spiritum sanctum  
 fuisse in prophetis, & per os prophetarum my-  
 steria Christi nobis reuelasse. Et Dauid Ps 51.  
 spiritum sanctum tuũ ne auferas à me. Intellex-  
 it enim se sine spiritu Christi esse, abominationẽ  
 coram deo esse, carnalem & cæcum, & nihil re-  
 rum spiritualium sapere nec legem Dei implere.

In spiritum sanctum itaq; credimus, quia ue-  
 rus Deus est, sicut Dauid canit Psalm. 32. uerbo  
 Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius  
 omnis uirtus eorum. Augustinus exponit & ait

uerbum certe Dei filius est, & spiritus oris eius spiritus sanctus est. Hic creatio tribuitur spiritui sancto, ergo creator est & natura Deus, hoc quod ex diuinis operibus spiritus sancti certo intelligit ecclesia Christi. Nam hæc opera non sunt illius creaturæ, sanctificare, uiuificare, iustificare, regenerare, creare, operari in nobis fidem, spem, charitatē, et reliquas uirtutes Christianismi, cor humanum sic cōsolari, ut mortem & omnia mala despiciat, ideo & πῶς ἀκ ληρς, paracletus, hoc est, cōsolator appellatur 10. 14. Præterea in hac mortali carne cor de gratia paterna Dei & de accipienda possessione cœlestis uitæ certificare, esse in cordibus nostris arbonem hereditatis cœlestis, omnia per unctionem certo docere quæ Christi sunt.

Hanc naturalem diuinitatem spiritus sancti Cyrillus lib. 14. Theauri copiosissime ex scripturis docet.

Eximium illud opus sanctificationem, operatur in nobis per Ecclesiam Christi, per remissionem peccatorum & expurgationem, per carnis resurrectionem & uitam æternam Nam in Ecclesie ut matris spiritualis gremiū nos collocat, in qua audimus uerbum dei, ex quo Christum discimus, fidē consequimur, & spiritum sanctum



## C A T E C H E S I S,

accipimus. De ijs igitur quatuor articulis nunc colloquamur.

### FRIDERICHVS.

*Perge igitur & hunc articulum declara.*

Credo unam sanctam catholicam ecclesiam sanctorum cōmunionem.

### F. OTTHO

*Percurram singulas uoces, ut uerum sensum queas percipere. Principio igitur Ecclesia ἐκκλησία, idē est quod cœtus uel cōgregatio, cōtio, ἀεκέκκαλεῖν, id est, euocare. Nam electi tenebris impij mundi in admirabilem lucem ueritatis, ministerio Euāgelico euocantur, sicut Apostolus Christianos per Euangelium ἐκ mundo euocatos appellare solet, κληθεὶς ἁγίους, id est, uocatos sanctos. Euocantur enim ex impij rē congregationibus, et congregantur in ouile Christi per Euangelium. Hæc piorum congregatio in ueteri testamēto uocabatur קהל קדוש, Kehal Edonai, id est cœtus et Ecclesia dei. Num. 28. regnū sacerdotale gēs sancta Ex. 19.*

סגילה עמ am Segillah, id est, populus  
 peculiaris, Deute. 7. Item Israel עמ נחלה  
 id est, populus hereditarius, Deute. 4. Item po-  
 pulus Dei, item tabernaculum dei Leuit. 26. pro-  
 pter inhabitatorem Deum. Hinc Apostolus Ec-  
 clesiam. 1. Timoth. 3. uocat domum Dei uiuen-  
 tis, columnam & basim ueritatis & 2. Thess. 2.  
 templum Dei, & Ephe. 5. sponsam Christi.

Ecclesia Christi uocatur sancta, quia sanctifi-  
 catur à spiritu sancto. Nā credit in Iesum Chri-  
 stum, & hac fide sanctificatur, remissionem pec-  
 catorum consequitur & spiritum sanctum, &  
 quicquid in uita superest, peccati & impietatis,  
 non imputatur ei, quia credit in Christū, qui est  
 purgator, sanctificator et propiciator Ecclesie,  
 imo ut Paulus. 1. Cor. 1. ait, ipse est nostra sancti-  
 ficatio, nam propter eum sancti reputamur, quā-  
 uis si nostras personas inspexerimus, sanctitas  
 est admodum tenuis & uix inchoata, si Christū  
 sanctificatorem inspexerimus, cuius sanctitas  
 est infinita, et ex gratia est nostra, iure uocamur  
 sancti, sicut & Apostolus uocat Christianos.  
 Et recte olim Augustinus in Ioannis cap. 1. tra-  
 ctatu. 3. dixit: Omnes qui per Christum iusti-  
 ficati sunt, iusti sunt, nō in se, sed in illo (Christo).

## C A T E C H E S I S,

Nā in se, si int erroges, Adā sunt, in illo, si inter  
 roges, Christi sunt. Ecce sentit doctor sanctus,  
 in nostra personali perfectione aut sanctitate,  
 prob̄ dolor nimis multa desiderari in hac uita,  
 cum nemo legem perfecte impleat, & omnes co  
 gamur orare: pater remitte nobis debita nostra.  
 Cæterum Christiani hāc habent prærogatiuam  
 in Christo, q̄ eis reliquum peccatum, immundi  
 ties reliqua nō imputa ur ad damnationem, sed  
 iusti & sancti pronunciantur propter sanctum  
 Christum, cui per fidem sunt insiti, sicut Aposto  
 lus Rom. 10. ait: Christus est impletio legis ad iu  
 stificationem omni credenti. Nam Christus doe  
 nat id quod lex requirit, id est, iusticiam, qui cre  
 dit in Christum, habet hac fide sua, quod lex po  
 stulat, id est, ipse hac fide est iustus per imputa  
 tionē diuinā, & liberatur à morte, uerum hac li  
 beratio tantū in hac uita inchoatur. Et si interea  
 credens in Christum uere est iustus & sanctus  
 imputatione. Et Augustinus in Psalm. 85. unus  
 quisq; fidelium dicat sanctus sum, non est ista su  
 perbia elati, sed cōfessio nō ingrati. Si enim dix  
 eris te sanctum esse ex te, superbus es, rursus fi  
 delis, in Christo & membrum Christi. Si te non  
 dixeris esse sanctum, ingratus es, dic Deo tuo,  
 sanctus

sanctus sum, quia sanctificasti me, quia accepi,  
 non quia habui, quia tu dedisti, non quia ego me  
 rui. Et eo loci dicit Augustinus, unum esse qui  
 dem sanctū sanctificantem, Christum caput no-  
 strum, nos autē esse sanctos sanctificatos, quia ac-  
 cepimus gratiam sanctitatis, gratiam baptismi  
 & remissionem peccatorum, & citat Apostoli  
 locum. 1. Cor. 6. hæc quidem fuistis, sed abluti es-  
 stis, sed sanctificati estis.

Ad hæc observa Ecclesiā dici sanctam, quia  
 habet spiritum sanctum, qui quotidie agit quod  
 in baptismo incepit, id est, repurgat & sancti-  
 ficat Ecclesiam non solum per remissionem pec-  
 catorum, quam nobis Christus sua morte emeru-  
 it, sed etiam per ablationē, repurgationem et oc-  
 cisionem peccati in carne.

Nam uita Christiana nō solū hanc preroga-  
 tiuam habet, quā dixi, assiduam remissionē pec-  
 catorū per Christū, & imputationē iusticiæ per  
 fidem, sed in hoc etiā pietatis exercitio strenue  
 sudat, ut refugiat à corruptione, quæ est in mun-  
 do per concupiscentiam, ut exuat ueterem homi-  
 nem & induat nouum, quia sudat in lauacro re-  
 generationis & in exercitio pœnitentiæ, ut mo-  
 rietur peccatis & uiuat iusticiæ. Spiritus san-  
 ctus non est ociosus in Ecclesia, sed efficax,

## C A T E C H E S I S,

Christus uiuit in Ecclesia, operatur & regnat  
 per redemptionem, per gratiam & per remissio-  
 nem peccatorum, spiritus sanctus per uiuificati-  
 onem & sanctificationem, per quotidianam ex-  
 purgationem, sordium peccati & renouationē  
 uitæ, ne in peccatis maneamus, propter quæ  
 Christum mori oportuit, sed ut nouam uitam ui-  
 uamus, ut per omnia genera bonorū operum ad  
 pietatem exerceamur, quæ lex diuina exigit, id  
 quod clare docet Apostolus Ephe. 5. Christus  
 (inquit) dilexit Ecclesiam & seipsum exposuit  
 pro ea, ut illam sanctificaret, mundatam lauacro  
 aquæ, per uerbum, ut adhiberet eam sibi glorio-  
 sam Ecclesiã, nõ habentem maculam aut rugam,  
 aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & ir-  
 reprehensibilis. Hic audis Christum non esse os-  
 ciosum in Ecclesia, Sed primo audis mortem, sa-  
 crificium eius, quo Ecclesia patri est reconcilia-  
 ta. Deinde meritum: meruit remissionem pecca-  
 torum omnium, et spiritum sanctum quo regene-  
 ramur, ut ex prophanis filijs Adam, fiant sancti  
 filij dei. Ideo ait seipsum exposuit pro Ecclesia,  
 profecto non in hoc, ut maneret prophana & in-  
 sordibus peccatorum, sed ut eã ab ijs mundaret,  
 sicut & ad Titum mortem Christi & fructum  
eius

eius inculcat: Christus, inquit, dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem sc̄ctatorem bonorum operum.

Ergo sanctitas Ecclesiæ Christi nõ est sic imputatiua tantum, ut Ecclesia in peccatis maneat sine poenitētia, sed est etiam re ipsa nouitas quædam & incepta per spiritum sanctum, puritas animæ & corporis. Nam Christianus mortificat spiritu facta carnis, temptationibus resistit, peccata odit secundum internum hominem, seruit legi Dei, & ut seruus iusticiæ præbet mēbra sua serua iusticiæ ad sanctificationem. Nam, ut Apostolus Gal. 5. ait, Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum adfectibus et cōcupiscentijs. Quomodo enim redempti à peccato, nihilominus peccatum ut libertatem amarent?

## FRIDERICHVS.

Quid autem de ijs sentis, qui inter Christianos uersantur, Christiani haberi uolūt, & tamē non credunt in Christum, nõ sunt à spiritu sancto illuminati & sanctificati? Nonne Iudas erat inter Apostolos? Nicolaus inter Diaconos primitiue Ecclesiæ? Simon magus adiunxit se Apostolis & baptisatus est. Ireneus, dicit eum simi-

## CATECHESIS,

lasse fidem, & post acceptum bapisma, sub Claudio Cesare, ad magicas superstitiones & abominaciones, ut canem ad uomitum redisse.

## F. OTTHO.

**Ecclesia proprie quid?**

Ecclesia, cuius hic symbolum mentionem facit, non est qualibet quorumlibet hominum congregatio, sed coetus sanctorum qui uere credunt in Christum, sanctificati à spiritu Christi, apud quos est uerbum Dei, & legitimus usus sacramentorum. Igitur sic sentio, quando sic sciendum esse docet scriptura, impios non esse Ecclesiam Christi. Nam oues Christi uocem eius audiunt. Io. 10. Impij autem nolunt audire uocem pastoris Christi, sed diaboli & Antichristi. Sunt autem in Ecclesia inter Catholicos sicut palea sunt inter triticum. Cõmuniter nobiscum utuntur sacramentis, sed nullam habent communionem spiritus nobiscum, reguntur enim à Diabolo, credunt mendacio, à ueritate abhorrent.

**Ecclesia militans cui similis.**

Hunc Ecclesie statum, quae in hoc mundo ad mixtos habet malos et hypocritas, Euangelium uarijs parabolis depingit, assimilatur arae in qua

qua mixtim iacent triticum & paleæ Matth. 3.

I.

Verriculo immundo habenti pisces bonos et  
putres Matth. 13.

II.

Agro in quo cum bono semine & Zizania  
sunt.

III.

Decem uirginibus quarum quinque prudentes  
sunt, quinque stultæ Matth. 25.

IIII.

Regis nuptijs, ubi sedet qui non est nuptiali  
ter uestitus Matth. 22.

V.

Vineæ in qua duplices operarij sunt liberali  
ter seruietes et mercenarij Matth. 20.

VI.

Magnæ domui, ubi uasa sunt aurea, & ar-  
gentea, lignea, testacea, alia in honorem, alia  
in ignominiam. 2. Timoth. 2. Romanorum nono

VII.

Verum quicquid est impurorum hominum, in  
illa sancta congregatione, exterminabitur in  
die nouissimo & in ignem Gehennæ conijcie-  
tur, ut legimus Matth. 13. 25.

Et ne hæc uasa contumeliæ, ne hæc leues pa-  
leæ & putres pisces, id est, impij, amabi-  
li illo & uenerabili nomine Ecclesiæ tibi im-  
ponant, sicut solent, ut ipsorum erroribus,



## C A T E C H E S I S,

impietatibus consencias & cum eis in æternum  
 pereas. Arripe & semper ob oculos habe in fal-  
 libilem regulam Christi, id est Euangelium, in  
 quo discimus, quid de Deo, Christo & de nobis  
 sit sentiendum, quid credendum & sperandum,  
 quomodo recte uiuendū, desige oculos in sacro  
 sanctam doctrinam prophetarū Christi et Apo-  
 stolorum, & si angelus è cælo prædicauerit tibi  
 aliud quiddam, quàm Euangelium Christi, hic  
 Anathema sit. Hunc ut lupum fuge, solum enim  
 Euangelium est uox pastoris nostri Christi, quā  
 oues eius audiunt & norunt, uocem autem alieno-  
 norum non nouerunt Ioan. 10.

Quicquid doctrinarum tibi adferetur, quod  
 Euangelio Christi de gratia eius, redemptione  
 nostri, per eum, de officio & meritis eius, con-  
 trarium est, tanquam uocem lupi Diaboli, &  
 Antichristi fuge, damna & execrare, etiam si  
 audieris prætexi illa magna nomina, Ecclesia,  
 Pastor Ecclesiæ, caput Ecclesiæ, summus Ponti-  
 fex, Catholicus. Nā ijs nominibus se fucant pseu-  
 dodoctores, ut facilius decipere queant simplia-  
 ces. Satā enim nouit se admirabili astucia trans-  
 figurare in Angelum lucis, quam sciens iam pul-  
 chre docet discipulos suos pseudopphetas, ut  
 fraudulentā

fraudulentum ueniant ad nos in uestitu ouium, cū  
 tamen intrinsecus sint lupi rapaces, Matih. 7.  
 Hoc loco probe obserues regulam Augustini: Regula Au  
 sacramenta sunt Christi, qui eorum autor & san gustini.  
 efficator est, quare nunquam ipsorum efficaciam  
 estimabis à dignitate & indignitate personæ  
 ministrantis. Dixi tibi in hac uita ingentem mul  
 titudinem impiorum & hypocritarum esse pijs  
 admixtam. Quare saepe fit ut mali gerant magi  
 stratum Ecclesiasticum, & administrent sacra  
 menta, uerum ministri malicia sacramentorum  
 uirtuti nihil obest, sacramenta & uerbum prop  
 ter ordinationem & mandatum Christi sunt effi  
 cacia, etiamsi per malos exhibeantur, ut Augu  
 stinus ait Io. primo. Sint ministri boni si uolunt,  
 si noluerint esse iusti, securum me fecit magister  
 meus, de quo spiritus eius dixit: hic est qui bap  
 tizat. Baptisma est tale, qualis est ille in cuius po  
 testate datur, non qualis ille per cuius ministeri  
 um datur. Vbi autē substantia institutiōis Chri  
 sti in sacramentis aufertur, nullum ibi sacramen  
 tū habebis, etiamsi quis uerba sacramentalia re  
 censeret, oportet enim ordinationem et intentio  
 nem Christi retinere in sacramētis, quod si fece  
 rimus, uera habebimus sacramenta, etiamsi mi

## C A T E C H E S I S,

Vna.

nister impius abuteretur ordinatione Christi,  
 abusus enim nō tollit substantiam. Vbi autē cau-  
 sa efficiens & finalis sacramentorum & eorum  
 essentialia negantur, peruertuntur, auferuntur,  
 nullum ibi sacramentū erit. Iam & hoc consi-  
 dera, cur dicatur una Ecclesia. Nam et si multi  
 sint congregationes in mundo Christi fidelium,  
 ut apostolus Gal. 1. scribit Ecclesijs Galacię, una  
 tamē est uniuersalis Ecclesia spiritu, fide, et ser-  
 su unita, quamuis corporibus per totum mundū  
 dispersa, nā Ecclesia uocatur corpus, 1. Cor. 12.  
 Eph. 1. Quemadmodum autem corpus humanū  
 unum est & habet membra multa, omnia uero  
 membra corporis multa cum sint, unum tamen  
 sunt corpus, similiter dispositum est corpus my-  
 sticum, id est, Ecclesia. Christus est caput, nos  
 sumus membra, caput & membra sunt unum  
 corpus, & sicut in uero homine una est anima et  
 unum corpus, utcunq; sint diuersa mēbra eius,  
 ita Ecclesia Christi catholica, est unum corpus,  
 et habet diuersa membra: & anima quę hoc cor-  
 pus mysticum uiuificat & gubernat est spiri-  
 tus sanctus, sicut Apostolus 1. Cor. 12. ait: Per  
 unum spiritum nos omnes in unū corpus bapti-  
 sati sumus,

fati sumus, siue Iudæi, siue græci, siue serui, siue liberi, & omnes unum spiritum hausimus. Pulcherrimam itaq; unitatem & harmoniam in Ecclesia uidemus quocunq; respexerimus. Nam inter nos est unitas spiritus per uninculū pacis, & ut Apostolus ait Ephe. 4. Vnum corpus & unus spiritus quemadmodum & uocati estis in una spe uocationis uestræ: unus Dominus, una fides, unum Bap̄isma, unus Deus & Pater omnium, & Ioann. 10. Ezech. 34. 37. Vnus pastor CHRISTVS, habet unum Ouile Ecclesiam ex Iudæis & gentibus collectam. Et Ioann. 11. Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei dispersos congregaret, in VNVM, & Ioann. 17. Ego gloriam quā dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut & nos unum sumus.

Qui in hoc corpore Ecclesiæ non est membrum uiuum per fidem in CHRISTVM, non habet Christum, nec spiritum sanctum, nec sanctitatem, nec remissionē peccatorum, nec spem ullam salutis. Est extra regnum Christi, in regno Diaboli, saluari igitur nō potest, cū sit sine

## C A T E C H E S I S,

Christo unico saluatore. Extra Ecclesiam sunt omnes heretici, impij iudæi, Turcæ, et quicūq; Euangelion non credunt.

**Catholica.**

Nunc audi cur Ecclesia dicatur Catholica. Augustinus de unitate Ecclesie cap. 2. scribit Ecclesiam à maioribus suis appellatā esse catholicam, ut ipso nomine ostenderent quod per totū est. Nam secundum totum καὶ ὅλον γρæce dicitur. Catholica est igitur, id est, uniuersalis, per omnes gētes toto terrarū orbe diffusa. Est enim regnum Christi, quod nec intra septa Chanaan includi, nec intra angustias unius seculi arctari, sed per orbem uniuersum & omnia secula dilatari debuit, ut prophete de Ecclesie latitudine, clarissime uaticinati sunt. Obserua etiam Ecclesiam dici catholicam, ut hac insigni nota excluderentur, hereses, & falsæ opiniones de cærimonijs, quæ somniant Ecclesiam esse alligatam certis locis & cærimonijs humanis. Magna igitur causa est, cur hoc epitheton sit additum catholica, quo intelligimus multitudinem sanctorū consencientem de Euangelij doctrina, per Apostolos tradita, etiamsi per totum orbem dispersa, dissimiles habeat ritus humanos. Quare satis tui sumus à calūnijs pseudoeccliesiæ, si Euāgelium

gelium iuxta Apostolicū intellectum retinemus  
 sincerum, & sacramentorum uerum usum, nosq;  
 spiritu coniungimus cum Ecclesia Orbis terra  
 rum, in Asia, Africa, Europa, in insulis Maris  
 & ubicunq; sunt sancti.

Moses in promissione ad Abraā & semen ei Gen. 22.  
 us facta, ait, benedicentur in semine tuo omnes  
 gentes terræ. Hoc impletum est, quando Euan  
 gelium sancti illius seminis, id est, Iesu Christi,  
 annunciatum est gentibus in uniuerso orbe, quæ  
 ex hoc Euangelio Christiani fiebant & etiam  
 num fiunt usq; ad nouissimū diem. Nam uocatur  
 per Euangelium in consorcium Christi, & con  
 sequuntur benedictionem spiritualem, id est, fi  
 dem, remissionem peccatorum, iusticiam, uitam  
 æternam, & liberantur ab æterna maledictione,  
 in qua omnes nascuntur.

Psal. 3. Postula à me & dabo tibi gentes  
 hereditatem tuam & possessionem tuam termi  
 nos terræ, quis unquam, ait Augustinus, dubita  
 uit hoc de Christo prædictum, aut hanc heredi  
 tatem aliud quàm Ecclesiam esse intellexit?

Psal. 17. Christus ait Patri, constitues me  
 in caput gentium, id est, Dominum & regem,  
 Confitebor tibi in gentibus Domine.

## CATECHESIS,

*Psal. 46.* Omnes gentes plaudite manibus,  
quoniam Dominus rex magnus super omnem  
terram.

*Psal. 85.* Omnes gentes quascunq; fecisti,  
uenient & adorabunt coram te Domine, & Glo  
rificabunt nomen tuum.

*Psal. 144.* Regnum tuum regnum omnium  
seculorum, & Dominatio tua in omni generatio  
ne & generatione.

*Esa. 11.* Erit in die illa radix Ischai, quæ stat  
in signum populorum, illam gentes inquirent, &  
ergo credent Euangelio & Christiani fient. Nam  
sunt illæ oues de quibus *Ioann. 10.* Christus ait,  
alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, illas  
quoq; oportet me adducere, & uocem meam au  
dient, & fiet unum ouile & unus Pastor.

*Esa. 49.* Leue est ut sis seruus meus ad suscita  
tandas tribus Iacob, & desolatiões Israel redu  
cas, Dedi enim te in lucem gentium ut salus mea  
usq; ad extremũ terræ. Hæc pater filio Christo  
loquitur. Ergo Ecclesia Christi per omnes gena  
tes est diffundenda.

*Jeremiæ 3.* in tempore illo uocabunt Hierusa  
lem, thronum Domini, & congregabuntur ad  
eam omnes gentes ad nomen DOMINI in Hie  
rusalem

rufalem, nec ibūt ultra post obstinationem cordis sui pessimam.

Sed quid multis testimonijs opus? Apostolus Ephe. 3. hoc mysterium ex prophetis omnibus, pauculis uerbis indicat, dicit reuelatum esse sanctis Apostolis CHRISTI & prophetis per spiritum, ut sint gentes, cohæredes & eiusdem corporis consortes que promissionis Dei in Christo.

Hæc uerba, communionem sanctorum, Augustinus adijcit in sermonibus, quo discimus in illa *Communio sanctorum.* sanctorum societate & ciuitate Dei omnia esse communia, fides orat pro omnibus, charitas omnibus seruit, hic alter alterius portat onera, iuxta legem Christi, ut uere Christianus, cum Dauide queat dicere: particeps sum omnium timentium te, & custodiencium mandata tua. Quid scelicius quã me in tali esse republica, ubi & rex & omnes conciues & domestici Dei in me respiciunt & horum omnium bona etiam mihi seruiunt.

## FRIDERICHVS.

De remissione peccatorum, quæscitu necessaria sunt iam me ex scripturis edoce.



# CATECHESIS, F. OTTHO.

Huc spectant omnia quæ Christus propter nos fecit, & perpassus est, ut à peccatis liberemur, ut plenam omnium delictorum nostrorum remissionem habeamus. Vbi enim peccatum fuerit sublatum, in tuto sumus, eo enim remisso, soluta est captiuitas nostra sub Diabolo, reconciliatio cum Deo parata, mortis imperium destructum. Verum ut hunc articulū exactius perdiscas, hæc puncta obseruabis.

- I. Quis remittat peccata.
  - II. An ex merito aliquo uel gratis conferatur remissio peccatorum.
  - III. Quod id medio fiat.
  - IIII. Quomodo hoc tantum beneficiū accipiatur.
- Quod ad primum attinet, Deus apud Esaiā cap. 43. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.

Et Ioann. 1. Christus filius Dei, appellatur agnus Dei tollens peccata mundi. Remittere enim culpam est opus solius diuinæ maiestatis, quæ nostris culpis offensa est. Eius enim est remittere peccatum cuius est lex, & cuius est mortem abolere & uitam restituere, hoc est solius Dei.

Sed in hoc eximio opere paternæ suæ miseræ Mediæ cordiæ, id est, remissione peccatorum, utitur Deus Medijs quibusdam, quibus nobis hoc beneficium impertitur, qualia sunt ministeriū Ecclesiasticum, prædicatio uerbi Dei, & sacramenta Ecclesiæ, Baptisma & sacramentum Eucharistiæ.

Cum enim remissio peccatorum non possit accipi nisi per fidem in Iesum Christum, unicum iustificatorem nostrum, ordinauit Dominus in Ecclesiæ ministerium docēdi Euāgelij, ex cuius auditu uenit fides in Christū, & annectit uerbo suo certa suæ illius paternæ gratiæ signa, ut his duabus rebus tanquam organis donetur nobis spiritus sanctus, qui in auditoribus Euāgelij fidē operatur.

Ecclesiæ eligit & uocat ministros dono propheciæ præditos, ut nobis annunciēt hoc uerbū gratiæ, Euangelium, de remissione peccatorum propter Christū, et administrent sacramēta, promissæ illius gratiæ infallibilia signa & efficacia.

Nam Christus dedit Ecclesiæ suæ clauēs regni cælorum, ut quicquid soluerit in terra sit solutum in cælis, et quicquid alligauerit in terra sit alligatum in cælis. Matth. 16. 18.

Ille absoluit per ministros, pœnitentes, &

Clauēs regni cælorum.

## C A T E C H E S I S.

infantes ad baptisma allatos, ligat omnes non  
baptisatos & impœnitentes.

Claves illæ sunt potestas à Deo data, Eccle  
siæ, hominibus, remittendi uel retinendi pecca  
ta. Matth. 9. cum publice tum priuatim.

PUBLICÆ, ut in concionibus Euangelicis,  
quando prædicatur pœnitentia & remissio pec  
catorũ sub nomine Christi, qui Euãgelio credit,  
hac fide remissionẽ peccatorũ accipit, & quãdo  
in publica pœnitentia absoluitur pœnitens.

PRIVATIM, quando peccator non solum  
generaliter confitetur deo ut publicanus Lu. 18.  
sed etiam ministro confitetur peccata, consiliũ,  
doctrinam, consolationem, & absolutionem pes  
tens. Hoc enim necessarium est, ut Euangelium  
omnibus publice, & singulis priuatim applice  
tur. Hæc est potestas consolantißima quam Chri  
stus Apostolis dedit, & ecclesia Christi manda  
to dat eorum successoribus. Ioan. 20. Accipite  
spiritum sanctum, quorumcunq; remiseritis pec  
cata, remittuntur eis, quorumcunq; retinueritis,  
retenta sunt. Et remissio hæc per ministrũ facta,  
uel absolutio, non est hominis sed Dei. Nam est  
uox pastoris Christi, qui per os ministri pecca  
torẽ absoluit. Minister uice Christi remittit pec  
catum,

catum, annunciat enim nobis uerbum Euangelij  
 & illud nobis applicat, & hac priuata absolutio  
 ne, testatur beneficiū Christi ad nos pertinere.  
 Et in hac absolute non satis est credere in ge- *Fides specia*  
 nere quibusdam remitti peccata, sed unusquisq; *lis:*  
 debet credere sibi ipsi etiam hanc remissionē pec-  
 catorum dari. Vere enim ei datur hoc beneficiū  
 remissionis peccatorum. Si non credit id sibi da-  
 ri et absolute contemnit, suo malo id faciet.  
 Deus enim nō est mendax sed uerax & efficax  
 per uerbum & sacramenta sua, quorū sacramen-  
 torum usus in Ecclesia, etiam est certissima ap-  
 plicatio Euangelij gratiæ Dei, quæ applicatio  
 testatur nobis, sacramenta percipientibus, gra-  
 tiam Christi ad nos quoq; pertinere.

Similiter ligat Ecclesia publice et excommu-  
 nicat publicis criminibus obnoxios, & rursus  
 absoluit eos quando resipuerint & absolute  
 petierint. Et priuatim per ministros ligat, quos  
 intelligit contemptores esse Euangelij & Eccle-  
 siæ, ut audiāt sententiā excommunicatiōis latam.  
 Ioan. 3. qui incredulus est filio, ira dei manet su-  
 per eū. Et obserua fidē nō esse in his quos nō pœ-  
 nitet peccatorū suorū. Quare impœnitentes nō  
 possūt peccatorū remissionē accipere: ubi nō est  
 cor contritū et humiliatū cognitiōe peccatorū.

## C A T E C H E S I S,

Et timor Dei, ibi fides non habet locum.  
 Evangelica doctrina non solum nobis offert  
 remissionem peccatorum, sed etiam poenitentiam  
 predicat et exigit, ut Christus Marci. 1. Resi-  
 piscite et credite Evangelio. Ideo ille articulus  
 de remissione peccatorum, non potest utiliter  
 predicari impoenitentibus, sed tantum poeniten-  
 tibus, uel qui anxias consciētiās habent propter  
 peccata sua et timent iudicium Dei.

Poenitentia  
 quid?

Poenitentia est conuersio peccatoris et res-  
 nouatio, quando declinat peccator à malo et se-  
 cit bonum.

Poenitentia est cōtritio et fides qua dolemus  
 nos peccasse, et qua credimus nobis remitti pec-  
 cata propter Christum, quā ueram poenitentiam  
 sequitur noua obedientia erga Deum.

Hanc excitat Deus in peccatore per uerbum  
 suum, uerbo legis manifestat, arguit et damnat  
 peccatum, terret cōscienciam, hic oritur contri-  
 tio, id est, terror et dolor cōscienciae, quae sentit  
 Deum irasci peccato et dolet se peccasse. Rursus  
 uerbo Euāgelij, scilicet quod deus propter Christi  
 gratis ex mera misericordia nobis uult remitte-  
 re peccata, solatur Deus territū, et fidem seu fide-  
 ciam huius misericordiae excitat, qua fit ut tran-  
 quilletur

quilletur conscientia, quia sentit dulcedinem misericordiae diuinae, & non dubitat se habere iam propitium Deum, per Christum. Sic poenitens odit peccatum, & se accingit ad exercicia pietatis, resistit tētationibus, orat diligenter Deū, ut nos à peccatis præsuet, ut sobrie, iuste & pie porro uiuere queamus. Sola cōtritio non est uera poenitētia, sed contritio fidei iuncta est poenitentia Euangelica, unde mox noua uita oritur, & bona opera sequuntur.

Qui scripturas non intellexerunt, poenitentiae addiderunt nostram satisfactionem pro peccatis cōmissis, uerum pro peccatis nulla est alia satisfactio, quam mors Christi. Poenitentia igitur tribus potissimum constat, contritione, fide, & uite nouitate, uel bonis operibus, quae sunt fructus poenitētiaē uerae. Qui uere cōtritus est, confitetur non grauatim sua peccata, Deo & hominibus. Qui uere & recte credit, gloriā satisfactionis & reconciliationis & iustificationis uni Christo tribuit. Nam si ex lege uel operibus nostris, aut poenitentia aut satisfactioe esset iusticia nostra, Christus frustra mortuus esset Galat. 2. Si autem mortuus est propter peccata nostra, ut pro his satisfaceret, Deum placaret,

## C A T E C H E S I S,

remissionē eorum nobis suo sudore mereretur, quid gloriamur de nostris satisfactionibus? Omnes omnium hominum omnibus seculis, passionēs, mortes, uirtutes, nō possent, uel pro uno peccato satis facere, sed sola mors, solus sanguis filij Dei hoc prestare potuit & debuit.

Remissio igitur peccatorum, & iustificatio peccatoris, sine nostris quidem meritis nobis contingunt, nos gratis propter Christum certo consequimur remissionem peccatorum, iusticiam, & uitam æternam. Sed hæc beneficia, antè sunt parta labore & meritis Christi infinitis, ut concionatur toti mundo Apostolus, Coloss. 1. Per Christum habemus redemptionem, per sanguinē ipsius remissionē peccatorū, Heb. 1. Christus per semetipsum facta purgatiōe nostrorū peccatorū, consedit in dextra maiestatis in excelsis.

Et Rom. 3. cum ostendisset, omnes homines esse peccatores, mox addit: iustificantur autē, id est, iusti reputantur à Deo, remissionē peccatorū consequuntur, GRATIS PER ILLIUS GRATIAM. Ecce nullū ibi meritū nostrum cōmémoratur, sed tantū gratia Dei in Christo & meritū Christi. Nā sequitur: per redemptionē quæ est in Christo Iesu, quæ proposuit Deus propiciatorium, per fidem interueniēte ipsius sanguine ad

ostensionem iusticiæ suæ.

OBSERVA uigilanter & nunq̄ obliuiscere hanc uoculâ gratis Hoc aduerbium, est unica et suauißima pctõrũ cõsolatio, q̄ gratis ex mera Gratis. misericordia, nõ propter merita nostra, sed propter Christũ, accipimus remissionẽ peccatorũ. Nã cũ iustificatio sit gratuita, ergo est certa, nõ n. aliquando hæc gratia tollitur, et niitur etiã inconcussõ & firmissimo fundamento, nõ peccatoribus & meritis dignissimis et perfectissimis Christi, qui hostia pro nobis in cruce fieri et sanguinem fundere uoluit, ut nos à peccatis redimeret, & iustissimam iram Dei placaret.

Si remissio peccatorũ inniteretur nostris operibus aut meritis, necessariũ foret, opa ac merita nostra esse satis digna, perfecta, & p oia legi consentanea: nunquã aut sunt talia, nemo igitur auderet sperare salutẽ, esset incerta remissio peccatorũ, nemo. n. in hac uita & mortali carne satis magnã habet pœnitentiã. Nemo legẽ implet præter Christũ. Peccatum in carne reliquũ, suo cõtagio oia opa nostra quantũlibet bona, maculat, oia pietatis exercitia impedit et remoratur. Sicut apostolus Ro. 4. docet Abraamũ nõ esse iustificatũ opibus legis corã Deo, sed p fidẽ sui



## C A T E C H E S I S,

benedicti seminis, id est, Christi Iesu, et ex psalmo  
 Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum  
 tecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputa-  
 bil Dominus peccatū. Dixi cōfitebor aduersus  
 me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti  
 impietatem cordis mei. Apostolus probat iusti-  
 ficationem non esse purgationem per propria  
 opera, sed esse remissionem peccatorum, id est, do-  
 num, ergo nō est ex operibus nostris. Probat in-  
 stificationem etiam esse imputationem iusticia  
 ex gratia, ergo remissio peccatorum & iustifi-  
 catio, quæ idem sunt, contingit nobis non per o-  
 pera nostra aut merita, sed pronunciamur iusti  
 & accepti ex gratia mera Dei, qui nobis pecca-  
 ta remittit & non imputat ad damnationem pro-  
 pter filium suum in quem credimus.

Et de illa certitudine remissionis peccatorū  
 scribit Apostolus memorabile uerbum cap. 4.  
 Hæreditas idcirco ex fide datur, & secundū  
 gratiam, ut firma sit promissio omnibus, id est,  
 hæreditas nostra promissa in Christo, bona cœ-  
 lestia, et æterna, incerta nobis essent, si propter  
 opera darentur. Quia opera nostra sunt incerta  
 tæ conditionis & indigna. Ideo autem dantur  
 ex fide uel propter fidem in Christum gratis, ut  
 sint nobis

sint nobis certa, ne dubitandum sit nobis de remissione peccatorum & uita aeterna. Nam gratia Dei est certa, promissoris Dei fides non uacillat, ueritas eius manet inconcussa in aeternum, Psalmo. 116. Qui illam firmitatē gratiæ dei & certitudinem Christianismi non intelligit, Euangelium non intelligit, in quo firmissime roboratum & fundatum est hoc dogma. Pater qui uult & potest prestare, promisit hanc gratiam in filio suo Iesu Christo. Filius infallibile pignus illius gratiæ, cū nos essemus inimici, tantum abest ut hæc beneficia nostra dignitate mereri possimus, mittitur ex mera charitate, & misericordia, ut homo propter nos fiat. Mittitur etiā spiritus sanctus arra iusticiæ & cœlestis hereditatis, ut nos de paterna Dei beneuolentia erga nos certificet. Promissioni remissionis peccatorum, additur iuramentum, ut hæredibus promissæ benedictionis ostenderetur firmitas consilij diuini, & per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest ut menciatur deus, ualidam consolationē haberemus. Heb. 6. Postremo promissio hæc uocatur & est fœdus gratiæ & testamentum aeternum, præcioso Dei sanguine confirmatum, quod non potest unquam irritum fieri.

## C A T E C H E S I S,

Hoc itaq; Dei beneficiū nempe remissio peccatorum, nullo alio medio potest à nobis accipi, nisi sola fide in Christū Iesum. Opera nostra & passiones nostræ habent aliud officiū. Operibus nostris bonis glorificatur Deus, & edificatur & iuuatur proximus, passionibus similiter glorificatur Christus, & nos ei conformes reddimur. Hoc dogma clare docet Esaias cap. 53. ubi conationatur de passione Christi, de fructu eius, & quomodo fructus ille percipiatur, & dicitur notitia Christi nos iustificari, quādo Christū noscimus, hoc est, beneficia Christi. Hæc autē beneficia recte nosse, proprie et uere est credere in Christū. Credere, q; quæ promisit Deus propter Christū certo præstet.

Omnes prophætæ et totū nouum testamentū consonis oraculis testimoniū ferunt Christo Iesu, q; remissionem peccatorū sit accepturus per nomē eius, quisquis crediderit in eum, Act. 10. & prima 10. secundo: Scribo uobis filioli, q; remittuntur uobis peccata propter nomē eius, scilicet Christi Iesu: ergo nō propter nostra opera aut dignitatē. Si obijcit aliquis, hoc nō esse cōsequēs ut meritū excludatur, responde, imo maxime est consequēs, quia propria nota Euangelij est q;

est, q̄ ex gratia indignis et p̄nam commertis,  
remittitur peccatum, sicut testatur illæ clausu-  
le exclusiue Pauli, gratis, per gratiam, non ex  
operibus, est donum.

Esaiæ. 45. In Domino (Iesu Christo) iustifi-  
cabuntur & gloriabuntur oēs qui sunt de semine  
Israel, iustificabuntur, id est, remissionem pecca-  
torum, per & propter eū accipient, iusti à deo  
pronunciabuntur, & spiritu eius etiam ex im-  
pijs pij efficiuntur. Nam gloriabuntur in eo ut in  
unico iustificatore et saluatore, omnem gloriam  
soli Christo iribuent.

Et cap. 53. Ipse p̄ctā multorū tulit, propter  
iniquitates nostras uulneratus est. Propter p̄ctā  
nostra percussus est, liuore eius sanati sumus.

Hic spiritus sanctus clare pronūciat, Christū  
pertulisse (ut Petrus ait) peccata nostra in cor-  
pore suo, super lignum, hoc est, pro peccatis no-  
stris ipse satisfecit, remissionem eorum ipse mor-  
te sua & sanguine nobis meruit. Nullis nostris  
& passionibus & operibus potuimus remissio-  
nem peccatorum mereri uel iustificari. Et Ioan-  
nes ait sanguinem Christi nos mundare à pecca-  
tis nostris. 1. Ioann. 1. Iam si solus Christus per  
suam mortem, suum sanguinem, delet peccatā

## C A T E C H E S I S,

nostra, & mortis imperium tollit, consequens est peccata nostris operibus & passionibus non expiari aut deleri. Si in solo Christi nomine, ut testantur omnes prophetae, remissionem peccatorum accipimus, credendo in Christum, Ergo nomine nostro uel alterius. Moses Num. 14. primum confitetur neminem esse innoxium, deinde commendat misericordiam Dei & fatetur deum remittere peccata, secundum magnitudinem misericordiae suae.

Lex enim non in hoc data est, ut ipsa nos iustificet & Christi officium sibi usurpet, hoc erat ei impossibile, Rom. 8. sed ut nobis nostram iniusticiam & damnationem manifestet, reatum ostendat, & poenam ineuitabilem, et sic terribiliter humiliatos & conuictos ad Christum unicum iustificatorem nos transmittat, ut eius operibus & meritis infinitis iustificemur & remissionem peccatorum consequamur.

Ideo Apostolus Act. 13. cum fiducia clamat. Notum sit uobis uiri fratres, quod per hunc (Christum Iesum) remissio peccatorum uobis annuntietur, & ab omnibus à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur.

Hæc vox non est obscura, per legē Mosi non potestis iustificari, id est remissionem peccatorum consequi, quia nemo eam implet.

Ideo ad gratiam Dei in Christo promissam ut ad unicum asylum est nobis confugiendum, & hunc unicum redemptorem, & peccatorum abolitorem Christum, impossibile est alia ratione quam per fidem apprehendere: sola igitur fide in Christum iustificamur, aut peccatorum remissionem consequimur.

Psalmo. 24. agnoscit David peccatum suum, & ingenue fatetur, peccata nostra nō propter ulla nostra merita remitti, sed ex gratia, ut omnis gloria sit Dei misericordis, non hominis curretis, ita enim canit: Propter nomen tuum domine propiciaberis peccato meo, multum est enim.

Et psalmo. 50. implorat misericordiā. Secundum multitudinem, (inquit) miserationum tuarum, dele iniquitatē meam, amplius laua me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me.

Et psalm. 129. Si iniquitates obseruaueris Domine quis sustinebit? apud Dominum misericordia & copiosa apud EVM redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Nō est meritum operis nostri, sed gloria gratiæ

## C A T E C H E S I S,

diuine in Christo, q̄ peccata nobis remittuntur,  
 sicut Apostolus ait Eph 5. gratia estis seruati  
 per fidem idq; non ex uobis, Dei donum est, non  
 ex opibus, ne quis gloriatur. Nā ipsius sumus  
 figmentum conditi in Christo Iesu ad opera bo-  
 na, quæ præparauit deus ut in eis ambularemus.  
 Et. 2. Timoth. 1. Saluos nos fecit & uocauit nos  
 Deus uocatione sancta, non secundum opera no-  
 stra, sed secundum propositum suum & gratiam  
 quæ data est nobis per Christum Iesum ante tem-  
 pora æterna, sed palàm facta est nunc per appa-  
 riitionem saluatoris nostri Iesu Christi &c.

Ad Titum 3. dicit nos iustificatos esse gratia  
 Christi Iesu seruatoris nostri.

Micheas cap. 7. Quis Deus similis tibi? qui  
 remittis iniquitatem et dissimulas peccatum re-  
 liquiarum hereditatis tue, nō roborauit in eter-  
 num iram suam, quoniam complacitum est illi in  
 misericordia. Reuertetur et miserebitur nostri,  
 calcabit iniquitates nostras, & proijcies in pro-  
 fundū maris omnia peccata eorum, Dabis ueri-  
 tatem Iacob et misericordiam Abraamo, quæ in-  
 rastis patribus nostris à diebus antiquis.

Hæc est propria noui testamenti promissio,  
 de remittendis peccatis & abolendis, sicut ha-  
 bent

promissiones factæ patribus Abraam, Isaac, & Iacob, de benedictione generis humani in Christo, cuius benedictionis, prima pars est remissio peccatorum nostrorum, & eorundem etiam tandem plena expurgatio.

Verum quid multa? Sacramenta ecclesiæ à Christo instituta & nobis donata, clarissime testantur, remissionem peccatorum nostrorum, iusticiam et salutem nullam esse, nisi per Christum mediatorem nostrum unicum inter Deum & hominem, dum cum fide ut iustificatorem & saluatorem nostrum apprehendimus.

## FRIDERICHVS.

Dic mihi quid sit sacramentum? quot sacramenta? & quis eorum usus?

## F. OTTHO

Sacramentum est signum sacrum, certum & Sacramētum. infallibile, diuinæ erga nos gratiæ & misericordiæ in Christo promissæ. Deus enim misericors sciens imbecillitatem nostram, & ad tantas res credendas difficultatem & stuporem, paterno animo, magnificis suis promissionibus, sacramenta quædam ceu sigilla literis apposuit, ut cõsuleret tremori conscientiarum nostrarum, ut il



C A T E C H E S I S,

la signa in oculos incurrentia monerent nos pro  
 missæ gratiæ, ut promissioni credamus, per que  
 signa spiritus sanctus operatur in nobis. Fides e  
 nim illis excitatur, erigitur, et confirmatur. Ver  
 bo enim & sacramentis Deus ouem erraticam  
 reducit in ouile. Per illa ut organa ad hoc à Deo  
 electa nobis adfertur & donatur Christus cum  
 meritis suis, datur spiritus sanctus. Quare sacra  
 menta ut diuinos thesauros Ecclesiæ amplecti de  
 bemus & uenerari. Obserua autem diligenter,  
 pulcherrimum uerbum Augustini in 10an. cap.  
 15. Tract. 80. Quare Christus non ait mundi  
 estis per baptismum quo loti estis, sed ait propter  
 uerbum quod locutus sum uobis, nisi quia & in  
 aqua uerbum mundat, detrahe uerbum, & quid  
 est aqua nisi aqua? Accedat uerbum ad elemen  
 tum & sit sacramentum. Etiam ipsum tanquam  
 uisibile uerbum, hæc ille. Hic discimus sacramen  
 tum duabus rebus constare, uerbo & ordinatio  
 ne Dei, ac Elemento, hoc est, re quadam externa,  
 idonea ad aliquod mysterium significandum. Ut  
 in baptisate est aqua & mandatum Dei forma  
 laq; baptisandi, in Eucharistia accipiuntur pa  
 nis & uinum, uerum inuisibiliter uerum corpus  
 et uerus sanguis Christi adsunt. Vocatur autem  
 uerbum

Augustinus.

uerbum uisibile, quia quod uerbum auribus, hoc sacramentum, uelut pictura quædam uerbi, oculis inculceat, ut cernas eundem esse usum uerbi & sacramenti.

Augustinus solet plerunq; hæc duo sacramēta Ecclesiæ proponere, Baptisma, & Euchariſtiam. Nam si de sacramentis proprie loqui uoluerimus, ut sint certa signa promissæ remissionis peccatorum, mox intelligemus hæc proprie esse Euangelij sacramenta, Baptismum, cœnam Domini. Quidam etiam absolutionem addunt. Hi enim sacri ritus à Christo sunt instituti in Euangelio, & significant hanc promissionem Euangelij propriam, scilicet peccatorum remissionē, gratis propter Christum creditam.

Uſus præcipuus ac finis sacramentorum est q̄ certa signa sunt paternæ uoluntatis Dei erga nos, & illius immensæ misericordiæ suæ in Christo promissæ, per quæ signa deus uerax, qui mentiri & fallere non potest, testatur tanquam miraculis de cœlo editis, se uelle nostri misereri propter Christum, & in filij sui consorcium suscipere, ut iustificati uiuamus per Christum in eternū. Recte ergo dicimus hæc signa tam esse efficacia, ut ijs cōfirmetur consciencia nostra in

## C A T E C H E S I S,

maximis angustijs. Si dices, quomodo res externa confirmat & certificat conscientiam, cū hoc opus efficiat spiritus sanctus, qui est arra in cordibus nostris. 2. Cor. 13. Respondeo spiritus sanctus reuera intus certificat & confirmat, consolatur & pacificat, sed facit hoc externis medijs à deo dispositis, nempe uerbo externo & signis sacramentalibus.

Hoc facile discimus ex. 4. cap. ad Rom. ubi Apostolus appellat circumcisionem (quæ erat sacramentum hebræorū) sigillum iusticiæ fidei, id est, certum signum, quo uerax Deus testatus est, se Abraamo esse propiciam, & ei remittere peccata, & eum pro iusto habere. Nam sigillum hic est usus in literis, ut nos de alterius uoluntate certificent. Ita circumcisio certificabat Abrahamum, de gratia Dei, q. habeat Deum propiciam iustificatorem & saluatorem. Hoc enim signo Abraham in fide confirmatus est, qui antea iustificatus fuit. Deinde signum illius iustificationis accepit ut in fiducia gratiæ Dei roboraretur & minus dubitaret.

Obserua & hoc, q. in Gene. corporalis illa circumcisio uocatur כְּתוּבָה בְּרִית oth, brith id est, signum fœderis, ubi autem fœdus est, con fœderatorum

foederatorum fides requiritur. Sunt inter eos le-  
ges quaedam, est & certitudo per signa. Deus  
autem fidelis est, misericordia eius super nos cō-  
firmata est, psalm. 116. ut de autore foederis &  
eius promissioe fideq; nefas sit dubitare. Quod  
si circumcisio est certū signū foederis, profecto  
significat hoc foedus ratum fore: hinc certe qui  
in foedere sunt confirmantur, ut certo Deum cre-  
dant prestaturum quod promisit.

Similiter iudicabis de Baptismo & coena  
Domini, quae sunt nostra sacramenta, q̄ sint cer-  
ta testimonia diuinæ uoluntatis erga nos, q̄ cer-  
to propter Christum uelit nostri misereri deus,  
nos iustificare & saluare, utcunq; simus indiga-  
ni, nam fides sacramēti inserit nos Christo, qui  
satis dignus est.

Obserua & hoc, q̄ cum sacramenta contine-  
ant promissiones Dei de remissione peccatorum  
& iustificatione, necessarium est ut promissio-  
nibus illis credamus, q̄ certo simus consecutu-  
ri, quae hic promittuntur. Promissioes enim dei  
requirunt fidem nostram, sine qua recipi & ap-  
prehendi non possunt.

Cum igitur sacramenta sint talia signa, quae  
requirant fidem, consequitur, q̄ ipsa non iustifi-

## CATECHESIS,

cent hominē sine fide ex opere operato, id est, qui a tantum cum alijs accedit communicaturus nihil tantarum rerum intelligens, uel credens, ideo tanquam sus Margaritam uorat in suam perniciem.

## FRIDERICHVS.

Quid est baptismus? quibus dādus, & quid per ipsum consequimur?

## F. OTTHO.

Baptismus.

Baptismus est aqua & uerbum, ordinatio ac mandatū dei Mat. 28. Euntes docete oēs gētes baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti Et Marci. ultimo, qui crediderit & baptisatus fuerit saluus erit, qui uero non crediderit cōdēnabitur: et oritur à uerbo βαπτίζω id est, mergo: quod enim foris per ministri manu agitur, uere à spiritu sancto inuisibiliter in toto homine peragitur. Nati sumus filij irę & peccatores, nec intrabimus regnum cœlorum, si sic manserimus carnales, peccati et concupiscentiæ fermento uiciati. Ideo uetus noster homo ex tereno Adam natus mox baptisandus est, id est, mergēdus in lauacrum regenerationis, ut totus regeneretur ex aqua & spiritu, ut peccatum in nobis

nobis penitus pereat, & uetus homo mortificetur ac natura ab omnibus coinquinamentis, quæ ab Adâ in nos propagata sunt repurgetur quotidiana pœnitentia, ut emergat & resurgat nouus homo, qui gerat imaginem Christi innocentis, & plane iustus ac purus sit ab omni macula peccatorum.

Hoc mysterium nobis pulcherrime depingit Apostolus Ro. 6. quicumq; inquit, baptisati sumus in Christum Iesum, in mortẽ eius baptisati sumus. Sepulti igitur sumus unâ cū illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Est enim baptismus, signum pœnitentiæ & remissionis peccatorũ. Ioannes enim Matth. 3. ait, ego baptiso uos aqua ad pœnitentiã, & Act. 19. ait Paulus, Ioannes baptisauit baptismo pœnitentiæ. Præterea Mar. 16. salus promittitur baptisatis, & Tit. 3. uocatur baptismus lauacrũ regenerationis & renouationis spiritus sancti.

Cum autem baptisati simus in nomine patris & filij, & spiritus sancti, habemus certum & infallibile testimonium & sigillum, q̄ Deus pater nos propter filium suum Iesum Christum in

## C A T E C H E S I S,

gratiam recepit, et spiritum sanctum donat propter eundem, quo uiuificamur et sanctificamur.

Et opus baptismatis, id est, mortificatio carnalis hominis uel poenitentia durat, per totam uitam nostram, semper enim debemus agere poenitentiam, crucifigere carnem debemus semper, item per fidem in Christum erigi & confirmari.

Quibus dan-  
dum.

Dandum autem est sacramentum baptismatis infantibus & adultis nondum baptisatis, ut presentaneum remedium contra peccatum originale & omnia actualia. Per ipsum consequimur omnium peccatorum remissionem, & spiritum sanctum, hoc est, eternam salutem, ut Paulus Tit. cap. 3. scribit, quod deus nos saluos fecerit per lauacrum regenerationis spiritus sancti, quem opulante in nos effudit, per Iesum Christum seruatorem nostrum. Et prima Petri. 3. Baptismus nos saluos reddit, quo non carnis sordes abijciuntur, sed quo fit ut bona conscientia bene respondeat apud deum per resurrectionem Iesu Christi. Hoc est, baptismus est pactum quo Deus erga nos testatur, se nobis placatum esse propter resuscitatum Christum, qui peccatum nostrum sua morte aboleuit & nos Deo reconciliauit, & nos conscientiam habemus pacatam, que propter

que propter Christum resuscitatum confidit se  
habere Deum reconciliatum.

Pueris in baptismo remittitur Originale  
peccatum, adultis originale & actualia simul,  
que ipsi propria electione et actione addiderunt  
originali. Hæc est fundatissima fides catholicæ  
Ecclesiæ, ut apud Augustinum in libris contra  
Donatistas cernimus. Quod autem & pueri sint  
baptisandi, Ecclesiæ docet autoritas. Ab Apo-  
stolorum enim temporibus in hunc usque diem bap-  
tismus puerorum duravit.

Puerorum  
Baptismus.

Et habes mandatū Dei: baptisate omnes gen-  
tes, ergo et pueros. Benedictionem benedicti se-  
minis Abraæ, id est, Christi, etiā ad pueros per-  
tinere, ipse testatur puerorum redemptor Chri-  
stus qui Marci 10. patrocinator pueris, sinue,  
(inquit) pueros uenire ad me, ne prohibite illos,  
taliū enim est regnum Dei, & cepit illos in  
ulnas, & impositis manibus benedixit pueris,  
hoc est, eos in suam gratiam recepit, peccatum  
remisit, salutem donauit. Et cū salus ad eos pue-  
ros tantum pertineat qui sunt in Ecclesia uel po-  
pulo dei, & Ecclesia sciat se habere mandatū  
remittendi peccata, recte facit quod infantes mox  
ad lauacrum regenerationis adfert, ut & olim



## CATECHESIS,

in populo Dei, infantes octauo die signum gratiæ circumcissionem accipere iubebatur. Quod si salus & regnum Dei ad infantes pertinent, cur signum gratiæ eis subtraheremus?

## FRIDERICHVS.

Sed quid est cœna Domini, quibus danda, et quis inde fructus?

## F. OTTHO.

Cœna domini uel sacramentum Eucharistiæ, est uerum corpus & uerus sanguis Domini nostri Iesu Christi, sub pane & uino, quam cœnam Christus instituit, ut Christiani cœlesti hoc cibo & potu ueræ uitæ reficiantur, edant & bibant in memoriã Christi redemptoris, mortem eius annunciantes donec uenerit, id est, usq; ad nouissimum diem & secundum Christi aduentum ad iudicium uniuersale debemus semper, in priamis tamen in usu huius sacramenti, summa cum gratiarum actione & laude gratiæ Dei in Christo, prædicare uirtutem & fructum preciosissimæ illius mortis filij Dei, unde nobis omnia bona promanant, remissio peccatorum, iustificatio, reconciliatio cum Deo æterna, Spiritus sancti dona,

donā, perfectaet aeterna redemptio ab omnibus  
malis, beata immortalitas, uera & aeterna uita  
& salus.

Sed audi sacrosancta Christi uerba, quibus  
hoc uenerabile sacramentum est institutum, ex  
Mat. cap. 26. Mar. cap. 14. Lu. cap. 22. 1 Cor. 11.

Dominus noster Iesus Christus  
in ea nocte, qua traditus est, ac-  
cepit panē, gratias egit, fregit,  
deditq; discipulis suis & ait, ac-  
cipite, comedite, hoc est corpus  
meum, quod pro uobis datur.

Hoc facite in mei commemora- *Novum testa-*  
tionem. Similiter & postquam *mentum.*  
coenauit accepto calice, cum gra-  
tias egisset, dedit illis dicens: Bi-  
bite ex hoc omnes, hic calix est  
nouum testamentū, in meo san-  
guine, qui pro uobis effunditur  
in remissionem peccatorū. Hoc  
facite quotiescunq; biberitis in

## C A T E C H E S I S,

mei commemorationem.

Ex his Christi uerbis uelut ex summa Euangelij, multa discimus, Primum, etsi uerū ibi corpus Domini & uerus sanguis in cibo & potu nobis donantur, sub pane materiali, & uino de fructu uitis, non tamē datur ibi cibus & potus pro uentre, aliquot horas reficiendo contra famem & sitim corporis, sed dantur cibus & potus animarū, ut nouus homo qui per baptismū renatus est, hinc alatur et roboretur. Sicut enim per baptismum renascimur, ita per sacramentū Eucharistiæ pascimur & roboramur in uitam coelestem & æternam.

Hinc facile etiam intelligis, quibus hæc coelestis cœna sit apparanda. Cum enim mysteria in hac cœna sint tam tremenda, ministri Ecclesiæ eam non promiscue omnibus apparent, saltem scienter, sed probatis. Nā apostolus. 1. Cor. 11. ait. Probet autem seipsum homo, & sic de pane edat & de poculo bibat. Nam qui edit aut bibit indigne, iudicium sibi ipsi edit & bibit, non diiudicans corpus Domini. Propter hoc multi inter uos imbecilles & inualidi, & dormiunt multi.

Tunc autem probatus es, quādo uerba Christi in coena intelligis, & ea sic credis, ut non dubites & de tuis hic peccatis mentionem fieri, & beneficia Christi quæ hic offeruntur etiam ad te pertinere, paratus iam grato in redemptorem animo etiam cum Christianis interesse Eucharistiæ. Primo, si credis, quod res est, tam grauius offensum esse deum peccatis tuis, ut fuerit te in æternos cruciatus gehennæ abiecturus, si Christus non suum corpus uictimam expiatoriam, propiciatoriam & satisfactionem obtulisset Deo patri pro te redimendo, & sanguinem suum preciosum effudisset, ut te à peccatis mundaret, tam enormia & grauiora esse peccata, ut nos in potestatem Diaboli ad æternam damnationem coniecerint, profecto terreberis, conteretur cor tuum & timebis iudicium Dei, pœnitet te tuæ ingratitude, et peccatorum, quibus offendisti Dominum Deum tuum. Deinde si credis quod res est, morte & sanguine Christi, peccata tua & totius mundi uere esse expiata, te hac morte Deo esse reconciliatum, teq; è Diaboli manu redemptum, mox erigetur per te factum cor tuum, & ex illa consideratione incomparabilis charitatis dei erga te, qui proprio filio

## C A T E C H E S I S,

suo non pepercit, sed pro te in ignominiosam  
 mortem tradidit, & ex consideratione summa  
 obedientiæ filij, qui similiter sic te dilexit, ut Pa-  
 tri obediens fuerit usq; in mortem, & mortem  
 crucis, ut te ab æterna ignominia liberaret, pro-  
 fecto exhilaraberis & fidem concipies in tam  
 benignum Patrem & in liberatorem Christum,  
 et iam procul dubio inæstimabile illud precium  
 redemptionis, nempe, ipsummet filiū Dei, æter-  
 næ illius personæ obedientiam, mortē & sangui-  
 nem nihil dubitabis sic esse accepta Deo patri,  
 ut illorum dignitas, efficacia & gratia Dei in-  
 comparabiliter uincat omnem grauitatem, &  
 indignitatem peccatorum nostrorum.

Postremo hæc fides in Christum, illa tantorū  
 beneficiorū cognitio non sinent te ingratum ster-  
 tere, sed experge facient & urgebunt te ut mag-  
 no desiderio, & summa animi & corporis reue-  
 rentia, accedas ad sacramētum hoc, & cū Chri-  
 sti fidelibus, mortem & resurrectionem Chri-  
 sti, tuos thesauros & tuam uictoriam celebres,  
 et alacriter annuncies.

Habes tria quæ ad hanc probam pertinent  
 contritionem, fidem, uoluntatem gratam, quæ  
 participatione sacramenti uult Dominum confi-  
 teri,

teri, & ei pro beneficio redemptionis æternæ etiam publice gratias agere, qui sic affecti sunt, recte præparati sunt, probati & digne communicant.

Iam & illud intelliges, impœnitētes qui peccatis sic delectantur, ut non habeant ullum propositum emendandi uitam, & ideo gratiam dei in Christo, & remissionem peccatorum nihil curant, sed carnis desyderia tantum sectantur & criminibus etiã manifestis obnoxij sunt, nequaquam ad sacram cõmunionem esse admittendos. Pœnitentibus enim cœlestis hæc mensa, non porcis suos uolutabro gaudentibus apparatus, ideo confessiõe priuata exploratur communicaturi, an rem intelligant, an credant uerbis Christi, & per pœnitentiam sint præparati ut hunc cœlestem cibum & potum sumere cupiant, tanquã medicinã efficacissimã spiritualiter languentiũ.

Qui à cœna arcendi.

Communicanturi probentur.

Si iam queris quis ex hoc sacramẽto fructus percipiatur? respondeo, perpende uerba Christi, cogita quis sit qui tibi in his loquitur, de quibus bonis loquatur quæ tibi donat, de quibus malis, quibus te liberat. Nonne cum Christus per OS ministri dicit. Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur, tu certe in illa uoce, uobis, inclu-

## C A T E C H E S I S,

*sus es, & unus eorum pro quibus corpus est datum cum dicit. Hic sanguis meus est qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, tu similiter unus es redemptorum. Tibi enim loquitur in hac caerimonia, tibi hæc bona hic applicat et donat, testatur hoc sacramento beneficiū suum ad te quoq; pertinere, cum tibi corpus suum impertit & sanguinem suum, hic te sibi tanquā membrum adiungit, qua coniunctione nulla potest cogitari propior. Testatur se efficacem in te fore. Nā ipse est uita, testatur se abluere peccata tua, quis hunc immensum fructum dignæ communicationis enarrabit? Remissionem peccatorum, quam fidelis accipit, omnia bona committantur, iusticia, spiritus sanctus, uictoria contra peccatū, mortem, Satanam, securitas conscientiarum, participatio omnium bonorum totius Ecclesiæ, uita & salus sempiterna. Et hæc est causa cur accedas ad Synaxim, ut in sacramento incomparabilem illū thesaurum accipias, in quo remissionem peccatorum, pacem conscientie, refectionē noui hominis cōsequeris, sicut uerba cœnæ clare docent, & nobis hæc bona exhibēt. In hoc iubet te hic edere & bibere, ut bona hic contenta, sint tua & tibi prosint ut certissimum pignus*

pignus salutis, immo ipsissima hæc bona quæ  
pro me & te data sunt, contra mea & tua pec-  
cata mortem & omnia mala.

Christianus sit cogita, tu quidem succumbe-  
res peccato & morte, & æterna fame perires,  
uerum hic tibi dat Christus panem uitæ, corpus  
uerbo Dei æterno & natura uiuifico iunctum,  
in quo corpore & sanguine peccatū est absorp-  
tum, mors destructa & abolita. Cum ergo uita  
ipsa sit cibus tuus & potus tuus, confide, & fa-  
cile uirtute huius cibi perripes omnia uincula  
mortis & uiues in æternum, sicut ueritas ipsa  
dixit Io. 6. Caro mea uere est cibus & sanguis  
meus uere est potus, qui edit meam carnem &  
bibit meum sanguinem in me manet & ego in il-  
lo, & habet uitam æternam, & ego suscitabo eum  
in nouissimo die.

## FRIDERICHVS.

Laudetur gloria gratiæ Dei, quæ nos indig-  
nos tantis bonis dignatur, sed explana iam pe-  
nultimum articulum, Huius carnis re-  
surrectionem.

## F. OTTHO.

Adam & ultimum, qui superiori natura



## C A T E C H E S I S,

coniunctus est & uitã æternã. Ideo enim generalis resurrectio celebrabitur, non ut rursus in mortali uita, omnibus tribulatiõibus exponamur, & tandem iterum moriamur, sed ut finis fiat miseriarum, & ut pij & Christiani resurgant in uitam æternam, impij in æternam damnationem.

Boni enim pariter & mali resurgent, boni in gloriã, mali in ignominiã & pœnam, sicut Apostolus de impœnitentibus Rom. 2. docet, & colligant in hoc seculo sibi ipsis irã in diem iræ, quo patefiet iustum iudicium Dei, qui redditurus est unicuique secundum facta sua, his quidem qui perseuerantes in benefaciendo gloriam & honorem & immortalitatem quærunt, **VITAM ÆTERNAM**, alijs uero qui contentiosi sunt, & qui ueritati quidẽ non obtemperant, sed obtemperant iniusticiæ, uentura est indignatio & ira, afflictio & anxietas, aduersus omnem animam hominis perpetrantis malum.

Ac primo de qualitate resurrectionis qua  
*Qualitas re* habet scriptura, adferam, deinde uaticinia pro  
*surrectionis.* phetarum & promissiones de resurrectione huius  
 ius carnis. Ratio humana etsi in omnibus fidei  
 articulis uel parum uel plane nihil suis uiribus  
 &

& naturali lumine capiat, inprimis tamen de  
 mortuorū resurrectione ne syllabā quidem som-  
 niat, id quod in clarissimis Ethnicorum ingenijs  
 uaria eruditione excultis cernere licet. Nā eisi  
 de animarum immortalitate ductu rationis &  
 à posteriori, hoc est, effectibus earum, quaedam  
 scripserunt non indigna lectu, adeo tamen per-  
 peram de corporum salute senserunt, ut doctri-  
 na de corporum resurrectione apud Ethnicos  
 spermologia sit appellata, sicut Lucas in Actis.  
 cap. 17. testatur, qui scribit, Apostolū Athenis,  
 ubi omnis humanæ sapiētiae & eruditionis arx  
 & palestra erant, spermologum esse uocatum,  
 cum resurrectionem mortuorū prædicasset, &  
 à seculi sapiētibus irrisum esse. Esto itaq; Plato  
 dixerit, sine corporibus animas in æternum esse  
 non posse, & sapientum animas post quamli-  
 bet longum tempus, tamē ad corpora redituras,  
 hoc tamen mysterium nō lumine naturali intel-  
 lectus peruestigauit, sed ex doctrina Mosaica  
 accepit, ut testatur Eusebius lib. 11. præparatio-  
 nis Euangelicæ. Vide Augustinum. 22. de ciuit  
 Dei cap. 27.

Absurdissima igitur somniat infidelis ratio,  
 cū resurrectionē audit, sicut Sadducæi Mat. 22:

## C A T E C H E S I S,

stolide ratiocinantur de muliere, quæ septem uir-  
 ris in hac uita uxor iuncta fuerat. Sed Christus  
 causam et fontem illius erroris ostendit dicens,  
 Erratis nesciētes scripturas, neq; uirtutem dei.  
 Ratio sine spiritu sancto nihil intelligit eorum,  
 quæ ad futurum seculū pertinent, sed uix ea quæ  
 sensibus subiecta sunt, bona autem cœlestia quæ  
 Christianis præparata sunt nō intelligit, anima  
 lis enim homo non accipit ea quæ sunt spūs Dei.  
 1 Cor. 2. Maiora enim sunt omni captu ratiois,  
 sicut ex Esaiā Apostolus testatur: oculus non ui-  
 dit, auris non audiuit, et in cor hoīs non ascende-  
 runt, quæ præparauit dominus diligentibus se,  
 nihil te moueat qua morte intercidat caro, aut  
 quo elemento absorbeat, in extremo die infi-  
 nita uirtute eius, à quo ex nihilo creata est, inte-  
 gra reuocabitur, sicut eleganter Augustinus lib.  
 de ciuit: dei 22. cap. 20. scribit, Absit ut ad resu-  
 scienda corpora uitæq; reddenda non possit om-  
 nipotentia creatoris omnia renouare, quæ uel  
 bestia, uel ignis absumpsit, uel quicquid in  
 puluerem, cineremue collapsum, & in hūmo-  
 rem solutum, & in auras exhalatum, absit ut si-  
 nus ullus, secretaumq; naturæ ita recipiat aliqd,  
 sub. ractum sensibus nostris, ut omnium creato-  
 ris aut

ris aut lateat cognitionē aut effugiat potestātē.

In hoc igitur arduo fidei nostræ articulo, ratio cæca non est in consilium adhibenda, sed uerbum Dei omnipotentis & ueracis est consulendum, hinc ueritatē huius articuli discemus. Primo igitur cogitabis, quis resurrectionē mortuorum sit pollicitus & cuius uirtute fiat. Et reuocanda mens est à carnalibus cogitationibus, ad primum fidei articulum, quem si credis, facile deinde credes mortuorum resurrectionem, id quod Apostolus facit, quādo coram rege Agrippa, & præside Festo, de spe Israël concionabatur, id est, de resurrectione mortuorum & uita eterna piorum, dixit. Cur incredibile iudicatur à uobis, si Deus mortuos suscitatur, quasi dicat: quid inaniter philosophamini in creatura, et apud terrā mysteria cæli queritis, assurgite à creaturis, ad creatorē oīm DEVM, hic resurrectionem huius carnis gloriosam suis promissit. Ergo est resurrectio mortuorum, quia promissor est omnipotens Deus, & est uerax, ac ne nos dubitaremus de re tāta, suscitauit filiū suū in natura nostra, & 2. Cor. 5. docet de syderium animæ ad corpus suū esse nobis cōmune, & nolimus exui, hoc est, corpus omnino deserere & ueluti inutile abijcere, sed superindui ut ab

## C A T E C H E S I S,

*forbeatur mortalitas à uita, id est, uestiri carne  
 nostram iam mortalem, beata immortalitate, ut  
 ne quis desyderium hoc uelut inane rideat, quia  
 si cupiamus impossibilia, ostendit, quomodo re  
 surrectio sit possibilis, & ait: qui parauit nos in  
 hoc ipsum Deus est, q. d. si humanis uiribus tri  
 buerem opus illud resuscitandi mortui, tum uero  
 frustraretur desyderium nostrum, sed Deo, con  
 poribus nostris gloriosam eternitatem promit  
 tenti, adscribo hanc infinitam potentiam resusci  
 tandi mortuos. Si igitur credis Deum esse omni  
 potentem, et ueracem esse promissorem tantarū  
 rerum, nihil hic te rationis somnia turbabunt,  
 sed fide intueberis uerbū dei, cui tuto credimus.  
 Docet itaq; gloriosum uerbum Dei,*

*Gloria resur  
 rectionis Ele  
 ctorum.*

*Hæc eadem corpora nostra, in quibus hic ui  
 uimus, resurrectura esse, sed renouata, nūc enim  
 caro nostra morbis innumerabilibus et mutatio  
 nibus crebris, tandem & morti subiecta est, cre  
 scit, minuitur, edit, bibit, dormit, digerit, egerit,  
 fatigatur, infirmatur, esurit, sinit, friget, uritur,  
 ferro læditur & armis, ueneno interficitur, mo  
 ritur.*

*Verum in resurrectione ultima, substantia  
 carnis resuscitabitur integra, sed sine predictis  
 defectibus,*

defectibus, & sine omni uitio, sicut Philipp. 3.  
 Apostolus ait. Christus transfigurabit corpus  
 nostrum humile, ut cōformere ddat corpori suo  
 glorioso. Christus autem in eadem carne resur-  
 rexit, in qua pependit in cruce, non in alia, atq;  
 ut imbecillitati fidei nostræ consuleret, uestigia  
 clauorum & lateris uulnus reseruauit, quæ in  
 cruce habuerat Ioan. 20.

Hæc igitur erit qualitas corporum resuscita-  
 torum, aut resurgentium, quatuor præclarissimis  
 dotibus dotabuntur corpora beatorum, quibus Dotes glo-  
 rie, in desponsatione animarum suarum ornabuntur

- 1 Impassibilitate
- 2 Claritate
- 3 Subtilitate
- 4 Agilitate.

VI Augustinus ex Apostolo docet lib. 13. de  
 ciui. Dei. cap. 20. usq; ad. 24. Sed audi apostolū  
 1. Cor. 15. qui primo amœnissimam imaginem re-  
 surrectionis, in natura nobis commonstrat.

Proponit semen, granum nudum, semen non Omnia tes-  
 prorumpit è terra, non crescit in spicam, donec stantur resur-  
 in terra putrefactum & mortuū fuerit, tum exi rectionem,  
 lit admirabili uigore & pulchritudine, ac uelut  
 reuincit cum scenore, ita & corpora seminant

## C A T E C H E S I S,

tur in terram mortua, ut tempore ueris, id est, in die lætissimo resurrectionis generalis rediuiua et pulcherrima in momento prodeant.

	Corru ptione		Incorruptibilitate. Nā ele ctorū corpora ledi nō pos sunt aut corrūpi, sed sicut radius solis cristallū, ita be atorū corpora illa, oīa ali a corpa penetrare possūt.
	Ignomi nia		Gloria Mat. 13. iusti sicut sol fulgebūt in regno patris mei: Et ap̄tus, sicut stella di ffert à stella in claritate, sic et resurrectio mortuorū.
Seminatur corpus, id est sepelitur in	Resur git in		Potētia, corpa beatorū ca runt fortissima, potētissima et agilia, ut ubi uult sp̄s mox ibi sit et corpus.
	Infirmi tate		Corpus sp̄uale, id est, subti lissimum ut oīa q̄at penetra re, sicut Christus lapidē se pulcri et ianuas clausas pe netrauit sine oī impedimēto.
Vide Augu. de ciu. dei li. 22. cap. 30:	Corpus aiāle.		

Et obserua q̄. Apostolus sepeliri uocat semi  
nari, uerbo minime terribili, sed iucundo. Sicut  
enim granum non seminatur ut pereat in terra

sed ut cum scœnore post hyemem è terra progerminet, ita corpora non sepelluntur ut in terra maneat puluis & cinis, sed ut in d. e. nouissimo perfecta resurgant in uitam immortalem, mors enim tū absorpta est in uictoria, ideo Paulus tam iucundis metaphoris utitur in re qua nihil alioqui horribilius ratio humana nouit.

Hinc consequitur corpora electorum, post resurrectionem non fore animabus suis molesta & oneri, sed ornamento, quia gloriosa erunt, & predictis donibus insignita. in lib. sapientiæ capite 9, cōqueritur anima de mortali corpore ut de molesto & ruinoso habitaculo luteæ substantiæ. Corpus, inquit, quod corrūpitur, adgrauat animam, & terrena inhabitatio impedit sensum multa cogitantem. At in resurrectione iustorum cessabit hæc querela, nā in ste Augustino, ultimo de ciui. Dei cap. 20.

Aberit à corpo ribus nostris omnis.	} Corruptio Deformitas Tarditas	} per	} Impassibilitatē Claritatem Agilitatem & potentiam



## CATECHESIS,

Et si quid aliud est, quod non decet regnum  
CHRISTI, in quo filij resurrectionis & pro  
missionis, & quales erunt angelis Dei. Lucæ vii  
gesimo.

Et lib. 22. ait Augustinus, corporibus nostris  
uicia detrahentur, natura seruabitur. Ergo ead  
dem carnis substantia resurget, eadem corpora,  
quæ per mortem ceciderunt & sepulta fuerunt,  
redibunt, ut Athanasius ex uerbo Dei canit,  
ad cuius (Christi) aduentum omnes homines re  
surgere habent cum corporibus suis. Ecce suis di  
cit, non alienis aut nunc primum de nouo crea  
tis, aut ex alia materia formatis, id quod electi  
organum Dei Paulus his uerbis exprimit clarif  
sime: Oportet corruptibile HOC induere incor  
ruptibilitatē, ET MORTALE HOC induere  
immortalitatē. Cū, ait, corruptibile HOC in  
duerit incorruptibilitatē, & mortale hoc indue  
rit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus  
est, Absorpta est mors in uictoria. i. Cor. 15. Et  
hoc Christus sua resurrectione, cui configurabi  
mur, euidenter testatur, resurrexit enim in suo  
proprio corpore, quod triduum in sepulchro in  
cuerat, & resurrexit corpore incorruptibili,  
glorioso, potentissimo, & spiritali, sic & nos  
resurgemus.

resurgemus. Et obserua non esse ociosam β&τ-  
 ρλογίαν, quando pronomen demonstratiuum  
 HOC quater apostolus repetit, uult enim nobis  
 diligēter inculcare hoc dogma, nō alia corpora  
 pro illis nostris, quæ nunc habemus, sed eadem  
 corpora in substantia, alia tamen qualitate, hoc  
 est, melius ut sic dicam qualificata, quia dotibus  
 gloriæ exornata & superinduta, ut apostoli uer-  
 bo utar, atq; ab omnibus uicijs repurgata et libe-  
 ra, certo resurrectura esse. Nam & paulo an-  
 te sic dogmatizat. Quæadmodum gestauimus,  
 (intellige in hac uita) imaginem terreni Adam,  
 gestabimus & (intellige in futura uita) imagi-  
 nem cœlestis. Hoc autem dico fratres, q̄ caro  
 & sanguis regni Dei hereditatem consequi non  
 possunt. Neq; (hæc clausula est expositio præce-  
 dentis) corruptio, incorruptionis hereditatem  
 accipit. Ecce mysterium uobis dico, non omnes  
 quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur  
 in puncto temporis, in momento oculi, per extre-  
 mam tubam, canet enim, & mortui resurgent in-  
 corruptibiles, & nos immutabimur. Similia do-  
 c. 1. Thess. 4. Hoc enim uobis dicimus in uerbo  
 domini, quia nos qui uiuimus, qui residui sumus  
 in aduentu Domini &c.

## C A T E C H E S I S,

Age nunc uideamus scripturarū testimoniā  
de huius carnis nostræ resurrectione, & uita  
sanctorum æterna & beata.

Ac principio, satis antea ostēdimus omnibus  
his scripturis nostram resurrectionem probari,  
quibus Christi capitis ac redemptoris nostri re-  
surrectionem adstruimus. Apostolus enim, qui  
hunc articulum doctissime, ex causæ fontibus de-  
ducit, sic ratiocinatur: Christus, q̄ propter nos  
seruandos mortuus fuit, resurrexit tertio die  
secundum scripturas, ergo & nos resurgemus.  
Resurrexit enim Roma. 4. propter iustificatio-  
nē nostrī, id est, ut nos iustificaret. Resurrectio  
eius est nostra, nobis seruit. Apostolus conside-  
rat mysterium incarnationis, q̄ filius Dei huma-  
nam naturam in unitatem personæ suæ assump-  
si ut fieret sponsus electorum, caput Christiano-  
rum, & naturam nostram quæ peccatis & mor-  
te oppressa propter Adæ lapsum erat, hac ratio-  
ne ex summa ista miseria erueret, & in summā  
gloriam beatæ immortalitatis sublimaret. Cum  
igitur nos Christi sponsa, eius mēbra & corpus  
mysticum simus, & ipse sit uitis illa uera, cuius  
nos sumus palmites electi, tam impossibile est  
Christianos non resurgere, quàm impossibile  
erat,

Enthymema  
Apostoli  
1. Cor. 15.

1. Cor. 12.  
Ioan. 15.

erat, Christum detineri captum in morte. Vita enim nostra, ut Coloss. 3. Apostolus docet, abscondita est cum Christo in Deo. Ideo quando Christus manifestatus fuerit uita nostra, tunc & nos cum illo manifestabimur in gloria. Nam & nunc mundo morimur, uiuit in nobis Christus, qui nos suo spiritu ducit & gubernat ut caput sua membra, quare si spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis habitat in nobis, certe is qui excitauit Christum ex mortuis, uiuificabit & mortalia corpora nostra, propter ipsius spirituum inhabitantem in nobis Rom. 8. Obiectioni carnalis sapientie, quæ dicit, Christus quidem resurrexit, num idcirco & ego resurgam? Respondet Augustinus Psalmo centesimo uigesimo nono. Vtiq; resurget, in hoc enim (id est, in hac carne) resurrexit Dominus, quod à te accepit, non enim resurgeret nisi mortuus esset, non autem mortuus esset, nisi carnem portasset, sacerdos noster à nobis accepit quod pro nobis offerret, accepit à nobis carnem, in qua uictima factus est, in resurrectione innouauit illud, quod occisum est, & tanquam primicias tuas Deo dedit, & ait tibi, consecrata sunt iam omnia tua, quando tales primicie tuæ de te datæ sunt Deo. Spera ergo & in te

## C A T E C H E S I S,

futurum, quod præcessit in primitiis tuis.

Atq; hoc est consilium Dei in homine redimendo, postquã per hominem mors irrupit, etiã per hominem resurrectio mortuorum erit. Quã admodum per Adam omnes moriuntur ita per Christum omnes uiuificabuntur. 1. Cor. 15.

Resurrexit autem Christus uere à mortuis, caput & Cor nostrum, ante mille & quingētos annos, & in eo iam resurrexit melior pars nostra, id est, anima à morte peccati per fidem in Christum, restat tantũ adhuc altera pars nostra mortale corpus hoc, domicilium hoc terrenum, ut Apost. 2. Corinth. 5. uocat, aut Tunica maculata, ut Iudas Thadeus appellat, quæ per mortem aut dissolutionem expurgabitur, mortalitatem exuet, uirtute Christi regnantis renouabitur, et superinduetur stola immortalitatis beatæ. Ita Augustinus Psal. 70. Resuscitata est anima nostra ab iniquitate infidelitatis, & facta est in nobis quasi prima resurrectio per fidem. Iam resurreximus, mēte, fide, spe, charitate, sed restat ut resurgamus corpore.

Hoc mysterium, hunc fidei Euangelicæ Articulum, à condito mundo prædicauerunt prophete. Moses Gene. 3. docet, Caput serpentis Diable, qui

Genes. 3.

boli, qui mortis imperium habet, contritum iri,  
 per semen sanctum mulieris, id est, Christum,  
 hoc est, peccatum & peccati poenam, mortem  
 poenitus abolendam esse, per Christum. Ergo  
 est resurrectio mortuorum. Si Caput Diaboli in  
 fractum maneret, hoc est, potestas eius inconcus  
 sa, detineremur omnes in morte captivi. Sed se  
 men sanctum triumphavit, serpentem per semet  
 ipsum, ait Paulus. Ergo sicut ipsum semen malis  
 nostris peccato & morte pessundatis resurrex  
 it, ita & nos resurgemus, & cum per semen hoc  
 benedictum Moses prädiceret omnes gentes es Gen. 22.  
 se benedicendos, uaticinatur certe maledictio  
 nem nostri esse tollendam, ut ab ira Dei, peccatis  
 & mortis tyrannide, tandem per hoc semē pla  
 ne liberemur. Gen. 22.

David psalmo. 5. Laetentur (inquit) omnes  
 qui sperant in te & in æternum exultabunt &  
 habitabis in eis. Hæc fieri nō possūt, nisi et Chri  
 stus lætitia electorum in propria persona resur  
 gat à morte, & suos etiam à morte exuscitet in  
 uitam æternam. Psalm. 5.

David psalmo. 36. Hereditas immaculato Psalm. 36.  
 rum in æternum erit. Ergo resurgent immacula  
 ti, ut hanc hæreditatem possideant æternum. Ec

## C A T E C H E S I S,

ce breuis uersiculus includit resurrectionē mortuorum, & uitam æternam. Sicut Petrus ait. 1. Pet. 1. Deus pater Domini Iesu Christi, iuxta copiosam misericordiam suam regenuit nos in sp̄e uiuam per hoc, q̄ resurrexit Iesus Christus ex mortuis, in hæreditatem immortalem, & incontaminabilem, atque immarcescibilem conseruatam in cœlis.

Et eodem psalmo canit propheta, Dominus amat iudicium & non derelinquet sanctos suos in æternum, conseruabuntur, saluabit eos quia sperant in eum. Ergo non manebunt in morte, sed ad uitam æternam resurgent.

*Psal. 88.*

PSALM. 88. in æternum misericordia edificabitur, in cœlis præparabitur, Veritas tua, di sposui testamentum electis meis, iuravi Dauid seruo meo, vsq; in æternum parabo semen tuum. Nam Christus cum suis regnabit in æternum ut Psalmus ille canit, Ergo est resurrectio mortuorum: mortui enim non regnant. Mox enim esset & nos simus peccatores, promittit tamen, se misericordiam suam nobis seruaturum in æternum, & suum testamentum, de benedicendis nobis, nunquam prophanaturum.

*Psal. 102.*

PSALM. item. 102. Misericordia Domini ab æterno,

ab eterno, & usq; in æternum super timentes eum, hac misericordia remittitur nobis peccatum et peccati stipendium, mors à nobis in æternum auferetur. Psalm. 102. agit psalmista Deo gratias pro redemptionis beneficio & ait, Benedic anima mea Domino, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de corruptione uel interitu uitam tuam: ubi Augustinus ait, tibi sanabitur omnis languor tuus, cum corruptibile hoc in duerit incorruptionem: redempta est enim uita tua de corruptione. Iam securus esto, inius est bonæ fidei contractus. Nemo falli redemptorẽ tuum, nemo circumuenit, nemo premit, Egit hic commercium, iam precium soluet, sanguinem fudit, sanguinem, inquã, fudit, unicus filius Dei pro nobis, ostendit exemplo, quod promissu in premio. Mortuus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostri, sperent membra, quod in capite demonstratum est, nunquid non curabit membra sua quorũ caput euexit in cœlum?

Psalm 109. Christus iuramento patris ordinatur sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedek Ergo benedicet nobis, benedictio ne sacerdotali & spiritali, id est, remittet pec

Psalm. 109.



## C A T E C H E S I S,

cata, iusticiam donabit, quia est rex iusticie, ubi autem peccatum remittitur & iusticia donatur, mortis imperium tollitur & sequitur uita eterna, quã iustis Deus pollicitus est, & certo dabit, Quia ueritas Domini manet in eternũ psalm. 116.

Psalm. 145.

Psalm. 145. Beatus cuius Deus iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius qui fecit cœlum & terram & omnia quę in eis sunt. Sed deus iacob est adiutor, spes & Deus Christianorum. Ergo Christiani sunt beati hic in spe, Ro. 8. post hęc uitam in re. Beati autē esse nō possent, si peccatis & morte oppressi manerent. Est ergo resurrectio in uitam eternam, ubi omnium bonorum possessio est indeficiens.

Esa. 25.

Esa. 25. uaticinatur propheta de Christo et Ecclesia, eiusq; liberatione, Perdidit (inquit) mortem in eternum, & absterget Dominus Deus lachrymam à cunctis faciebus, & auferet opprobrium populi sui ab uniuersa terra, & dicet in die illa, ecce Deus ille noster, expectauimus eum & saluabit nos. Iste Dominus quem expectauimus, exultabimus & letabimur in salute eius, quoniam quiescet manus Domini in morte isto.

Hęc est uere Euangelica concio Esaię de arduissimis

duissimis mysterijs Christi & Ecclesie eius.  
 Hoc erit officium Christi, ut perdat & deuoret  
 mortem, generis humani atrocissimum hostem,  
 & perdat in æternum, Ergo æterna uita dona-  
 bit redemptos suos. Sicut & cap. 51. Esaias de  
 Christianis uaticinatur, in Zion, id est, ecclesia,  
 Et uocat eos redemptos à Domino, laudaturos  
 Dominum, quod est opus beatorum in patria, iux-  
 ta illud Psal. 84. Beati qui habitant in domo tua  
 DOMINE, in secula seculorum laudabunt te, et  
 prædicant sempiternam læticiam super capita eo-  
 rum fore, & cum Ecclesia in mundo lachryma-  
 rum ualle uarijs afflictionibus excrucietur, per-  
 secutionibus, odio acerbissimo mundi, contume-  
 lijs, morbis, peccatis, & mortis crudelissima ty-  
 rannide, promittit propheta, in cap. 25. unà cum  
 abolitione mortis, omnium malorum ablatione.  
 Christus absterget tandè in die Redemptionis  
 à facie sanctorum omnes lachrymas, id est, non  
 pacietur superesse uel tantillum quod porro mo-  
 lestare, & mœrore possit afficere sanctos. Chri-  
 stiani etiam propter Christum male audiunt in  
 hoc seculo, hæretici, schismatici, sediciosi, et nihi-  
 li homines uocantur Matth. 5. omnibus probris  
 deformantur. Hæc probra similiter auferet DO

## C A T E C H E S I S,

minus, & gloriam & honorem perpetuum red-  
det. Nec quisquā poterit hoc consiliū impedire,  
quia Dominus omnipotens hæc promisit, & Zi-  
on intelligens quid auxiliij & consolationis in  
Christo habeat, dicit, Ecce iste est Deus noster,  
in illo est nostra uera salus, uirtus & maiestas  
Dei est in illo monte, id est, Ecclesia, quia Domi-  
nus liberat & letificat eam leticia perpetua.

Nam ante hæc uerba, dicit: perdet in monte  
istò faciē inuolucris quo inuoluti sunt omnes po-  
puli, & operimētum quod expensum est super  
oēs gentes. Hoc loco propheta similiter prædica-  
uit, inuolutorū faciē tollendā, id est, mortē. Mor-  
tui. n. inuoluūtur linteaminibus dū sepeliuntur,  
oēs autem hoīes his inuolucris inuoluuntur, om-  
nes enim sunt peccatores, & destinati sunt om-  
nes morti, sed auferentur hæc inuolucra à pijs  
in mōte Zion, id est, Ecclesia. Hæc enim potētia  
Christi est, mortē tollere, uiuificare mortuos, et  
in terrā sepultos euocare in uitā nouā et beatā.

Esaiæ cap. 26. uiuent mortui tui, cū cadauere  
meo resurgent, euigilate & cantate habitatores  
puleris, quoniā ros tuus, ros herbarū uiridis  
um, & terra inferos eijciet.

Hæc prophecia aperitiō est q̄ ut proluxa ex  
positione

positiōe opus sit. Sancti appellātur mortui dei, quia propter nomen Christi in hoc seculo adfliguntur & moriuntur, resurgent non in alijs corporibus, sed in illis ipsis in quibus mortē sunt perpeffi. Ideo cū in certa spe gloriose resurrectionis in puluere terræ dormiant, iubentur euigilare, resuscitabūtur enim per uocē Archangeli ac tubā Dei, & iubentur letari læticia nimirū perpetua, quæ porro ab eis nō auferetur Io. 16. Et ualde iucundā Metaphorā adhibet, de rore & uiridibus herbis seu prato. Nam in resurrectione, nos ueluti senio deposito iuuenescimus & perpetuæ iuuentutis uirore florebitus.

Et cap. 51. Salus mea ait Dominus in sempi *Isa. 51.*

ternū erit, & iusticia mea nō interibit, hæc Dominus loquitur populo suo, id est, Christianis, quod eos sit tali iusticia et salute donaturus, quæ in æternum durent. Ergo resurgent & uiuent

beati sine fine. *Esa. 60.* Dominus erit tibi in *Esa. 60.*

lucem sempiternā, & Deus tuus in gloriā tuā, & finientur dies luctus tui. Hæc promittit Dominus Ecclesiæ suæ, ideo tã certo resurgēt Christiani ex puluere in gloriā æternæ uitæ, quam uere Dominus Christus, qui nobis hæc æterna bona & inestimabilia meruit resurrexit & amplius non moritur.

## C A T E C H E S I S,

**Iere. 33.**

Iere. 33. promittit Dominus Dauidi, <sup>germen</sup> iusticiæ, id est, Christum Iesum, qui faciat iudici-  
um & iusticiam in terra, id est, damnet & tollat  
peccatum, & iustificet nos, & in his diebus au-  
saluabitur Iudah, & Israel habitabit secure uel  
confidenter. Hæc propheta de regno Christi uo-  
ticipatur, id est, Ecclesia Christianorum quæ uo-  
catur Iudah et Israel iuxta spiritum, huic promit-  
tit salutem & securitatem. Atqui nulla salus &  
securitas uera est, ubi peccatum & mors regnat.  
Ideo significat peccatum & mortem summa ma-  
la abolitum iri, nos iustificandos & in æternum  
saluandos esse. Vera enim securitas esse non po-  
test ubi non est pax & gaudium sine fine, Ergo  
resurgent Christiani in uitam perpetuam.

**Ezech. 37.**

Ezech. 37. promittit Dominus, Christum ue-  
rum Dauid, fore seruum suum, & regem, princi-  
pem, & pastorem ueri Israelis in æternum, &  
pæcis fœdus sempiternum, ac sanctificationem  
æternam ei pollicetur. Ergo & ipse noster pa-  
stor ex Dauidis semine genitus, post mortem re-  
surret & suas oues suamq; populum, resuscita-  
bit à mortuis, ut sanctificati æterna pace cū suo  
rege fruantur. Ergo est resurrectio mortuorum  
& uita sancta & æterna.

Daniel

Daniel præter ea quæ de æterno Christi & Daniel. 12.  
 sanctorum regno prædixit, cap. 2. & 7. supra mo-  
 dum perspicuo testimonio confirmat articulum  
 de resurrectione & uita æterna. cap. 12. In tem-  
 pore illo saluabitur populus tuus omnis qui in-  
 uentus fuerit scriptus in libro, & multi ex ijs  
 qui dormiunt in puluere terræ, euigilabunt, ij ad  
 uitam sempiternam, & hi ad opprobria & abie-  
 ctionem æternam, & qui alios erudiunt fulge-  
 bunt sicut splendor firmamenti, & qui multos ad  
 iusticiam cõuertunt, erunt sicut stellæ in æternũ  
 & ultra.

Obsecro quot mysteria uno hoc uaticinio  
 Daniel reuelat? Saluabitur populus, loquitur  
 autem de æterna animarum salute, ut propheta  
 omnes, sicut testatur Petrus, & loquitur de ijs 1. Pet. 1.  
 in libro uite inscripti sunt, id est, electis in Chri-  
 sto, ante conditum mundum. Deinde prædicit  
 resurrectionem consolantissimis uerbis, mortu-  
 os et sepultos in terra, uocat dormiētes, ut mors  
 corporalis sanctorum sit tantũ somnus, sicut eã  
 Apostolus. 1. Thess. 4. & Christus Ioannis. 11.  
 uocant, & dicit Daniel euigilabunt, quo uerbo  
 etiam somnũ duntaxat significat. Proprie ergo  
 Christiani non morientur, cum eorum mors sit

## C A T E C H E S I S,

tantum requies & somnus, & secunda mors in  
 sanctos nullam habeat potestatem, ut & Chris-  
 tus Ioan. 8. clave pronunciat, Amen amen dico  
 vobis si quis sermonem meum seruauerit, mori  
 non uidebit in æternum. & Ioann. 11. Ego sum  
 resurrectio & uita, qui credit in ME, etiamsi  
 mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit & cre-  
 dit in me non morietur in æternum. Mors enim  
 nostra, morte uictoriosa Christi plane uicta &  
 absorpta est, uita restituta, ut resurrectio nostra  
 tam sit certa, quàm certa est euigilatio sani homi-  
 nis, qui naturaliter dormit in lecto. Et Prophe-  
 ta separat oues ab hædis. Christianus resurrex-  
 tionem carnis, ad æternam uitam promittit, sed  
 reprobis & impijs, etsi prædicit resurrectionem  
 carnis, tamen prædicit eos resurrecturos esse  
 in æternum opprobrium et consumptionem. Nã  
 Esaias dicit: uermis eorum, scilicet præuariato-  
 rum, & ignis eorum non extinguetur Esa. 66.

Postremo indicat propheta inæqualitatem  
 in dotibus corporum glorificatorum, ubi certe  
 unusquisq; accipiet secundum opera sua. Clari-  
 ri procul dubio corpore, fulgebit Paulus in res-  
 surrectione iustorum, quàm latro confessor Do-  
 mini. Nam multos ad fidei iusticiam conuertit.

Hosea

*Hosee. 13.* cum Dominus Israeli dixit, *salua* *Hosee. 13.*  
 tor non est prater me, clare ostendit, se saluato  
 rem israelis esse, id est, se redempturum esse po  
 pulum suum a peccato et morte Sicut paulo post  
 ait, liberabo uos de manu mortis. Ergo resurge  
 mus a mortuis, & morte abolita uiuemus cum  
 saluatore nostro SEMPER, ut Apostolus. 1.  
*Theff. 4.* scripsit.

*ioëlis. 2.* cum promississet Dominus spiritum *ioëlis. 3.*  
 sanctum, mox promittit ueram in se salutem, &  
 inquit, qui inuocauerit nomen Domini saluus e  
 rit, & loquitur de uera & eterna salute, sicut  
*Esaias cap. 45.* docet. Israel saluatur in Domino  
 salute eterna. Ergo est resurrectio mortuorum  
 & uita sine uita beata. Porro Ionas sicut suo il  
 lo triduo quo erat in profundo maris, sed uiuus  
 emerfit, figura erat Christi mortentis, sepulti  
 & resurgentis, ita & nostram mortem praefigu  
 ra uit finiendam, ut rediuiui cum Iona cantemus  
 misericordias Domini in aeternum, sicut ipse ce  
 cinit, eripuisti de corruptione uitam meam Do  
 mine Deus meus.

*Michee. 4.* aeternum regnum Christi in Eccle  
 sia praedicitur. Consequitur igitur & ipsum *Michee. 4.*  
 oportuisse resurgere et nos certo resurrecturos



## C A T E C H E S I S,

in beatam uitam. Misera enim uita, non uocatur regnum, sed potius carcer.

Sopho. 3.

SOPHO. 3. prædixit propheta fore ut populus Domini, non timeat ultra malum. Rationem addit, Dominus deus tuus, in medio tui fortis ipse se saluabit, gaudebit super te in læticia. Nonne Sophonias promittit nobis resurrectionem et uitam æternam? Si enim Hierusalem nihil porro malorum timebit, quæ tamē nihil æque timeat mortem & damnationem æternam. Ergo mors & damnatio non turbabunt eam, cum Deus ipse in humana natura sit habitaturus in medio populi sui & nos saluaturus, id est, à morte & inferno liberaturus, & in æternæ uitæ gaudia translaturus, ubi deum uidebimus, sicut est. 1. Ioan. 5. Qui erit omnia in omnibus, qui est summum, uerum, & incommutabile bonum, cui in æternam perfectam charitatem adhaerebimus perfecte beati, consequitur igitur nos in meliorem uitam reserecturos.

Zach. 13.

Zach. 13. prædixit propheta, etiamsi duas partes populi exterminandæ sint, quæ ab Evangelio absterrebuntur cruce, et abducentur erroribus impostorum spirituū, tertiam tamen partem, uelut aurum igne probatam, in uerbo ueritatis

ritatis permanfuram: & uide quàm leta de his  
tentatis Christianis annunciet. Ipse (populus)  
uocabit nomen meum, & ego exaudiã eum, dixit  
populus meus est, & ipse dicet DOMINVS  
DEVS MEVS, ibi loquitur de Christianis,  
qui ex fide uera inuocant nomen Domini. Quia  
sciunt non esse saluatorem præter eum, & Domi  
nus rursus honorat eos à quibus honoratur, ex  
audi preces eorũ & dicit, iste est populus me  
us. Si Domini sumus peculiaris populus, et ipse  
est Dominus Deus noster, Ergo perire non pos  
sumus, sed certo saluabimur, quis enim è manu  
Dei, populum Dei rapiet? Non est autem salus  
uera, nisi peccatum & mors tollantur, ut iustifi  
cati resuscitemur in uitam immortalẽ & beatã.

Hanc ratiocinandi formulam, Magister no  
ster Christus nos docuit, qui resurrectionem car  
nis contra stuporem Sadducæorum probaturus  
Matth. 22. citat uerba Exodi 3. Ego sum Deus  
Abraam, et hinc conuincit Abraam resurrectu  
rum. Deum enim esse Deum Abraæ, est esse æter  
num eius protectorem & saluatorem.

MALACH. 4. cū propheta impijs iudiciũ  
Dei minatus esset, mox promittit Christianis Malach. 4.  
uocantibus nomen Domini, exoriturum solem

## C A T E C H E S I S,

iusticiæ, id est, Christum Iesum, qui ut uerus sol  
 illuminat nos spiritualibus radijs, ut nos & no-  
 strum illuminatorē noscamus, ei in ipsum creda-  
 mus, qua fide iustificamur. Si iustificamur, ergo  
 & glorificamur, ex tenebris tristitiæ nos edu-  
 cet, & lumine suo exhilarabit, dum plene nos li-  
 berabit ab oibus malis. Nā sanitas est in penis  
 eius. In illius radijs, cum apparebit, uera nobis  
 sanitas animæ & corporis conferetur. Ergo  
 surgemus & perpetuo foeliciter uiuemus, sicut  
 Augustinus ad Dioscorum de glorificandis scrip-  
 sit. Tam fecit potentem Deus animā, ut ex eius  
 plena foelicitate redundet in corpus sanitas per-  
 petua & uigor incorruptibilis. Testimonia  
 noui testamenti ubiq; sunt obuia. Satis tibi hoc  
 sit Ioann. 5. Sicut pater habet uitam in semetipso,  
 sic dedit & filio habere uitam in semetipso,  
 & potestatem dedit ei iudicandi quoq; quia filius  
 hominis est. Nolite mirari hoc, quia ueniet ho-  
 ra, in qua omnes (tam boni quàm mali) qui in mo-  
 numentis sunt, audient uocem eius, & prodibunt  
 (id est, ex sepulchris resurgent uiui) qui bona  
 fecerunt in resurrectionem uitæ (nimirum æter-  
 næ) qui uero mala egerunt, in resurrectionem  
 condemnationis, id est, Gehennæ, & Ioann. 3.  
 qui

qui credit in filium habet uitam æternam.

Et cur non adderem testimoniũ sancti Iobis qui, prophætico spiritu, pauculis uerbis, maxima nobis fidei nostræ mysteria pandit cap. 19. & in primis hoc, quod hactenus fuit unicum solacium omnium Christianorum. Scio (inquit) & redemptor meus uiuit et in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea uidebo DEVM, quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciuntur sunt, & non alius.

Primo, confitetur redemptorem suum, sine cuius ope in æternum periisset, & dicit, scio, quia à spiritu sancto hoc didicit, qui est spiritus ueritatis, sua unctiõne cor de ueritate certificans. Deinde confitetur diem esse nouissimum, in quo generalis omnium hominum resurrectio fiet, & uiuum uocat redemptorem, non quod ipse solum per se & pro se uiuat. sed quod etiam mortuos suos uiuificet, ut sequentia uerba declarant. Constantem enim sperat se resurrecturum. Et uide dogma Apostolicum. Vere enim eadem corpora resurgent, quæ sepulta sunt, sed diuina uirtute pulcherrime renouata.

## C A T E C H E S I S,

Sicut enim Christus caput nostrum, in eodē corpore suo proprio resurrexit, quo passus et sepultus est, ita et nos in eisdem corporibus resurgemus, sed in gloriam ineffabilem, renouatis eadem uirtute, qua omnia creauit ex nihilo, Philipp. 3.

Obserua quod pellem nominat et carnem suam, ubi idem eodem spiritu docet, quod Apostolus. 1. Cor. 15. hoc corruptibile induet incorruptibilitatem, quasi dicat, etsi caro mea ulcerosa arrodatur, et ulceribus exedatur, ita ut instar pelliculis corrosae et contritae plane sit detrita, etiam si totus computrescam, et a uermibus corrodat, in illa tamen ipsa carne sed renouata, uidebo Deum, rursus pelle mea uestiar. Deum autem uidere et noscere, beatitudo uera est. Sicut Christus 10.

17. Haec est uita aeterna, ut cognoscant te solum Deum uerum et quem misisti Iesum Christum.

Animaduerte similiter quam accurate spiritus sanctus per os Iobi hunc articulum de resurrectione huius carnis, quam nunc gestamus edocet, ait enim, quem uisurus ego ipse et oculi mei et non alius. Quid est cauta locutio contra omnes rationis humanae calumnias, si haec non est?

Obstruit enim os Origeni et omnibus alijs, qui perperam de corporum nostrorum resurrectione sentiunt.

sciunt & sua somnia pro Dei uerbo uendit. Ego ipse ait, qui nunc ulcerosus sum & nihil aliud esse iudicor, quam putrefactio & uermium aesa, tamē renouabor, hoc corpus integrum, cū omnibus membris recipiam, sed mutatum in gloriam, ut etiam his modo infirmis, tūc autem glorificatis oculis uideam Dominum saluatorem meum, & non alius. Non enim aliud nouum corpus mihi Deus dabit, sed illud ipsum tam ulcero sum, corrosus et putrefactum, reddet, tanta claritate resurgens, ut nunc sol lucet, tanta praedita sanitate, ut nunquam queat in aeternum deficere, sed erit perpetua & florentissima iuuentus. Latina uersio habet hęc spes reposita est in sinu meo, et certe nō solum hęc spes erit in sinu tibi, sed omnium electorum à mundo condito, qui Dei uerbo edocti sciebant, non solum animam hominis esse immortalem, sed etiā corpus illud fragile, in summa potentia, & gloria, uirtute resurrectionis Christi resurrecturum, ut totus homo aeternae uitae gloriam recipiat, qui totus à filio Dei assumptus est & totus per eundē curā dus & reparandus erat. Erat enim resurrectio spes Israelis Acto. 28. 13. 26. Nam sperabant Israelitae omnes, ueros Deicultores, gloriose re

## CATECHESIS,

surrecturos esse in uitā sempiternā per Meschi-  
am. Hac spe freti, propter Deum oīa tolerabāt,  
ut de Machabæis. 2. lib. ca. 7. de filijs Solomons  
legimus, quorū secundus, cū ab Antiocho ad cru-  
delissimas pœnas raperetur, spe resurrectionis  
lætus, noluit cōtra legē facere, sed mori potius.  
Et dixit: maledicte homo, temporalem quidem  
hanc uitam mihi aufers, sed totius mundi Domi-  
nus, nos, qui propter legem suam morimur, re-  
suscitabit in uitam æternam. Alius filius quar-  
tus, dixit. Hæc est magna consolatio, q̄ spera-  
mus Deum, si ab hominibus interficimur, nos re-  
suscitaturum à mortuis. Hæc erat et Simeonis  
pij spes, Luc. 2. expectantis consolationem Isra-  
elis, id est, redemptionem à morte, resurrectio-  
nem et uitam æternam in Christo, quem cū pro-  
sentem in ulnis gestaret, uerum Dei salutare, ui-  
tæ autorem, imo ipsam resurrectionē et uitam,  
tanto gaudio replebatur, ut mortem non horre-  
ret, sed pacem nominaret.

## FRIDERICHVS.

Tempus et ordo exigunt, ut ultimam Cate-  
chismi partē, Orationem Dominicam, mihi ex-  
plares.

## F. OTTHO.

Hanc orationem appellamus Dominicam, à Domino Christo autore. Multæ sunt precatiões in scripturis sanctis, multi psalmi prelatorij, verum quicquid illi omnes multis uerbis petūt, hoc breuitate mira, sed quæ rerū necessariorum nihil prætermittit, à Domino deo patre, hæc breuis oratio petit & comprehendit. Non enim à seruis, prophetis & Euangelistis, sed ab ipso met Domino Deo nostro prophetarum & Euangelistarum Domino & magistro dictata est. Et habet primo proemiū, deinde petitiones septē.

Pater noster qui es in cœlis.

- I. Sanctificetur nomē tuum.
- II. Adueniat regnum tuum.
- III. Fiat uoluntas tua quemadmodum in cœlo sic etiā in terra.
- III. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.
- V. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.



CATECHESIS,

VI. Et ne nos in ducas in tentationem.

VII. Sed libera nos a malo, quia tuum est regnū, & uirtus, et gloria in secula seculorū amē.

**Necessaria  
ad ueram ora  
tionem.**

Principio scito ad orationem Christianā uel fructuosam omnino fidē in Christum necessariā esse, ut non sis impœnitens, sed credas & fidearis, te quidem esse peccatorem indignum omnibus Dei donis etiam minimis, deq; peccatis doleas, uerum nihilominus credas Deum tibi propiciū esse propter Christum, utcunq; sis indignus. Tam si Christum per fidē statuis tuum mediatorē esse, & aureum Altare, tum per Christum tutus tibi ad patrem aditus est, & certo exaudieris. Sicut ipsa promisit ueritas Ioan. 16. Amen amen dico uobis, Quæcunq; petieritis patrem sub nomine meo dabit uobis, ipse enim est sacerdos & pontifex noster in cœlis coram patre & aduocatus fidelis. Urgebūt autem nos

ad fideliter orandum

- 1. Nostra necessitas
- 2. Mandatum Dei.
- 3. Promissio eius in

Christo, & q; pater noster est.

ORATVRI igitur adferamus ea ad Deum  
patrem, quibus maxime premimur, & quibus  
maxime nobis est opus. Opus est autem nobis in  
primis augmēto fidei, charitatis, spei, timoris  
dei, paciētiæ. Deinde sunt & corporalia mala,  
morbi, paupertas, &c. quæ cupimus amoueri,  
& corporalia bona, quæ dari nobis uolumus.

Præterea, Mandat Deus ut oremus, Ora-  
tio enim est opus bonum secundi præcepti, &  
quociens dicit? Orate, petite, & dabitur uobis:  
Hoc mandatum certe non uult negligi.

Promisit etiam exauditionē Matth. 7. Quis  
quis enim petit accipit, & quicumq; querit inue-  
nit, & pulsanti aperietur, & Matth. 21. Om-  
nia quæcunq; petieritis in deprecatione, creden-  
tes accipietis, Oremus ergo cum fiducia

**Pater noster qui es in cœlis.**  
Id est, tu pater noster es satis diues, misericors,  
potens, ad danda omnia necessaria, & paternæ  
bonitate nos semper & ubiq; respicis.

**Sanctificetur nomen tuum.**  
Id est, effice ut sanctissimum nomen tuum, etiã  
apud nos sanctificetur, ut agnoscatur gloria

## CATECHESIS,

gratiæ tuæ, ut recte doceatur de te Euangelium  
tuum, quo te omnes recte agnoscant, inuocent,  
& colant.

### III. Adueniat regnum tuum.

Id est, destrue in nobis regnum Satanz, cui plus  
nimio per carnis cupiditates seruiuimus, & re-  
ge ac governa nos in uerbo et spiritu tuo. In hoc  
hic in nobis regnum gratiæ tuæ, ut hereditatem  
regni gloriæ post hanc uitam consequamur.

### III. Fiat uoluntas tua quem- admodum in coelo sic etiam in terra.

Presta hoc tu, ne uoluntatem carnis nostræ ser-  
quamur, & ne tuæ uoluntati, quæ sola bona, san-  
cta, et sanctificatrix est resistamus. Sed nostram  
uoluntatem tuæ rectissimæ uoluntati in omnibus  
subijciamus, & unusquisque nostrum, in sua uoca-  
tione tibi obediat, quemadmodum Angelici spi-  
ritus in caelis per omnia tibi obediunt.

### III. Panem nostrum quicti- dianum da nobis hodie.

Id est,

Id est, da nobis tu, à quo omne bonum est, necessaria huius uitæ, pacem, defensionem, fœlices etiam in omnibus rebus gerendis successus, liberalem puerorum institutionem, et quæ huic uitæ pie transigendæ necessaria sunt.

V. Remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris.

Hic scies in oī oratione tua, ut ante dixi, fidem in Christū præmittendā esse, quæ credat remissionem peccatorum gratis propter Christum unicum mediatorem, propter quem unum nobis accessus est ad patrem, et datur quicquid boni datur. Obserua tamen, q̄ Christus in sua oratione, non dicit debita nostra remitti, propter nostram remissionē, qua nos remittimus fratri. Nostra enim condonatio non fieret, si non ante crederemus nobis nostram culpam esse remissam à Deo per CHRISTVM. Sed nostra remissio est signum minime fallax, quo admonemur, et nostra nobis debita à DEO esse remissa. Propterea discite hic, iustificationem

## CATECHESIS,

nostri esse remissionem peccatorum nostrorum ex gratia Dei in Christo. Deus remittit & condonat nobis debita nostra, nos non soluimus de nostro. Sicut clare docet parabola Matth. 18. ubi seruus debitor debebat Domino suo decem milia talentorum, sed non erat soluendo. Dominus autem totum debitum ei remisit ex misericordia. Ille seruus significat peccatorem, qui non potest de suo soluere debitum, satis facere pro peccatis, sed per meram Dei misericordiam in Christo absoluitur à debito: absolutus debet & ipse ex corde conseruo delictum remittere.

### VI. Et ne nos inducas in tentationem.

Quãdiu in hac mortali carne uiuimus, assidue nos impugnant & à pietate ad scelera auocant caro nostra peccatrix, plena malis desiderijs, mundus hic, qui teste Ioan. 1. Ioann. 5. totus in malo constitutus est, & Satan, qui omnibus huius mundi presidij, conatur nos à Christo abstertere, & sicut Petrus ait: tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. Hic cum sit hostis tam pertinax, insidiosus, uictoriosus, astutus, nocentissimus & crudelis, tamq̃ potens, ut enim

ut eum Apostolus Eph. 6. Mundi dominum, & Christus Ioan. 12. Principem mundi uocent, certe nobis miseris inexercitatis, fragilibus hominibus, maxime uigilandū est contra hos hostes, & nostra arma sedulo in manibus tenenda sunt, que sunt Euangelium gratiæ Dei, scutum fidei, & oratio ardens ad Deum per Christum, ut ille ubiq; & semper nos custodiat, neq; unquam sinat nos induci in tentatiōes, ut uicti a Diabolo sequamur carnis cupiditates, & turpiter succumbamus, sed ut iuxta monita Petri, resistamus solidi fide.

## VII. Sed libera nos a malo.

Hic petimus liberationem ab omnibus peccatis & malis, quæ uel corpori uel animæ possunt accidere, & suspiramus ab exilio huius calamitose uite ad patriam cælestem. Appendix quæ se uite ad patriam cælestem. Appendix quæ additur, habetur in græcis codicibus. Neq; est ociosa clausula. Huic enim hæc oratio innititur, Deus enim nobis promisit, se in nobis regnaturum, Esaiæ. 9. Ezech. 37. Et suam diuinam uirtutem, ad nostram salutem sic collaturum, ut nos in eternum cantemus gloriam gratiæ eius, corde, ore & tota uita. Hoc Dei decretum stat in corpore

## CATECHESIS,

cussum. Ipsius est regnum, ipsius est potentia & solius eius omnis gloria.

Quare si fide orauerimus & precierimus ea quæ ad nostram salutem & Dei gloriam pertinent, certo petita consequemur. Tota enim hæc oratio huc spectat, ut Deus in nobis regnet, et ut per suam uirtutem nos ad omnem sanctitatem et salutem prouehat, ut uitam nostram omnem ad laudem & gloriam diuinæ ipsius maiestatis transigamus.

Amen.

Id est, Hoc firmum & uerum sit.

Habes nui frater, summam Christianæ doctrine, quæ Catechismū uocant. Ora Dominum ut nobis fidem et intellectum tantarum rerū conferat, ne simus tantum Christiani inani titulo, sed ut pie uiuamus, & tam præclari nominis rationem, ubi opus fuerit, reddere possimus.

FRIDERICHVS.

Sit Christo Domino, ac Deo nostro uero, æterna laus: Dabo operam, ad

iuuante Christo, ne frustra

de tantis rebus me

cum collocutus es

se uidearis.

PSAL. CVII.

Confitemini Domino

Argumentum Viti Theod.

Hic Psalmus in genere complectitur omnis generis beneficia, quibus Deus iuuat egentes, captiuos, oppressos morbis, periclitantes in mari, fame, ex annonæ difficultate laborantes, uexatos à tyrannis &c. Quare generalis gratiarum actio est. Notabis autem quod diserte dicit, etiã illos diuinitus iuari qui propter peccatã affliguntur, si modo sperent auxiliũ & id oratiõẽ à deo petãt.

Argumentum Eobani

Gratia debetur Domino qui seruat & auget,  
Quos rebus dominos omnibus imposuit,  
Qui meritis ut quisq; potest, ita donat & aufert  
Cuiq; sit huic soli gloria summa Deo.

**D**icite magnificas promētia carina laudes Hortatur ad  
Qui colitis casta religione Deum. gratiarum actiõnem.  
Cuius in æternum est bonitas memorabilis aũũ,  
Qui pius est, cuius gratia sine caret.  
Laudibus hoc fateantur, & ipsi carmina dicãt,  
Quorum sæpe sua uincla leuauit ope.  
Et quos diuersis sparsos collegit ob oris,  
De toto extremis quattuor orbe plagis:



Primus ordo  
calamitosorū  
& laboranti  
um inopia,  
neq; inuenien  
tium certas se  
des:

Secundus or  
do eorū quos  
liberat ex  
uinculis.

Vnde nitens croceis Aurora cubilibus exit,  
Vnde satis Zephyri mollior aura uenit,  
Vnde procellosi Boreæ sua flamina mittunt,  
Vnde graues pluuius depluit Auster aquas  
Qui loca per deserta errant, qua nulla priorum  
Signa, nec humano sit uia trita pede.  
Qui non inueniunt qua possint urbe morari:  
Quorum sunt nimia corpora lassa fame.  
Quorum præclusas sitis occupat arida fauces,  
Quorum est in medijs anxia uita malis.  
Qui simul ad Dominū clamant in rebus egenis,  
Audit, & aduerso tempore mittit opem.  
Errantes reuocans ostendit qua sit eundum,  
Ut rectam inueniant, ad loca culta, uiam.  
Ergo Dei celebrent tantæ bonitatis honorem,  
Ipsius in populis facta stupenda canant:  
Debilis ille animæ sitientia uiscera potat,  
Et dura reficit corpora fessa fame.  
Carceribus qui conclusi uinclisq; grauati,  
Non procul à mortis conditione sedent.  
Idq; ideo, quia se Domino posuere rebelles,  
Ipsius & uerbis non habuere fidem.  
Reddidit ergo humiles, et corda laboribus en  
Prosternit, nec adest q ferat ullus opē. (Gēh)  
At simul ad Dominum clamant in rebus egenis,  
Audit

Audit, & aduerso tempore mittit opem.

Eductos tenebris reddit uitalibus auris.

Soluit & iniecta uincula dura manu.

Ergo Dei celebrent tantæ bonitatis honorem,

Ipsius in populis facta stupenda canant.

Viribus ille suis portas confringit ahenas,

Vectes ferrato conterit ære graues.

Ob scelera & sua facta affligitur impius omnis,

Et stulti poenas quas meruere luunt.

Ipsorum stomachus super esca nauseat omni,

Et prope sunt Stygias qua uia ducit aquas.

Qui simul ad Dominū clamant in rebus egenis,

Audit, & aduerso tempore mittit opem.

Mittit, & egra suo sanat præcordia uerbo,

Iamq; propinquantî seruat ab exitio.

Ergo Dei celebrent tantæ pietatis honorem,

Ipsius in populis facta stupenda canant.

Grata Deo soluant meritæ libamina laudis.

Ipsius & leto pectore facta canant.

Qui maris alitibus sulcant uada salsa carinis,

Solliciti, & uastas ingrediuntur aquas.

Illi opera in medio spectant diuina profundo.

Factaq; in immenso prodigiosa mari.

Iusserit, exiliunt uenti, tumida æquora surgunt,

Mota procellosis fluctibus unda fremit.

3. Stulti hoc  
est securi &  
sine timore  
Dei, quos De  
us implicat  
morbis.

4. Periclitā  
tes in mari.

Et nunc in cœlum tolluntur, ad infima rursus  
 Tartara, mox animo deficiente, labant.  
 Iactantur nutantq; mero uelut ebrius hausto,  
 Et sensus animi nil sapientis habent.  
 Qui simul ad Dominum clamant in rebus egenis,  
 Audit, & aduerso tempore mittit opem.  
 Nigrum discussa mare tempestate serenat,  
 Reddita compositis fluctibus unda silet.  
 Tunc leti exultant q; murmura rauca quierunt,  
 Quod tenet optatam tuta phaselus humum.  
 Ergo Dei celebrent tantæ pietatis honorem,  
 Ipsius in populis facta stupenda canant.  
 Laudibus extollant . . cœtibus omnibus ipsam  
 Per loca sanctorum conciliata senum.  
 Qui rigua obstructis desiccet flumina uenis,  
 Et bibulo riguam puluere siccet humum.  
 Qui facit eximiam cultu sterile scere terram,  
 Quod letas segetes impia turba colat.  
 Qui loca manantes sitientia uertit in undas.  
 Et rigua è sicca flumina ducit humo.  
 Et macie atq; fame confectos collocat illo,  
 Qui, quæ possideant, mœnia tuta locant.  
 Inde relaturis dispergunt semina campis,  
 Lataq; botriferis uitibus arua nouant.  
 Vnde nouæ uario redeunt cum scœnore messes,  
 Credita

s. Qui pati-  
 untur difficul-  
 tatē annonæ  
 propter incle-  
 mentiã cœli.

Credita luxurians semina reddit ager.  
Talibus aspirat certum Deus ipse fauorem,  
Multiplicans ipsos auget & omne pecus.  
Rursus & hos faciet uarijs decrescere morbis:  
Pestibus, ærumnis, anxietate, fame.  
Contemptum populi certum primatibus affert,  
Et facit ut quærant per loca uasta uiam.  
Tādē ope dei eētum propera suffulcit egentē.  
Viq; gregem, plenam sic facit esse domum.  
Ista boni uideant ut læti uiuere possint,  
Audeat ut contra nil mala lingua loqui,  
Hæc quicumq; sapit, consyderet omnia, & ipse  
Certus erit summa de bonitate Dei.

6. Tyranno  
rum iniurijs  
oppressi.

Commendat  
hanc curam  
ut bonitatem  
dei in casibus  
cognoscant.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly obscured by the paper's texture and color variations.